


5492

Este libro es deffaytojo  
procto ad usum que se ha  
para que se quede y se lea  
que bontad se ha de tener  
en su de estudio del año 92

Caff69  
45  
226



S V M M A  
S V M M V L A R V M  
A V T O R E G A S P A R O C A R  
dillo Villalpandeo Segobiensi, eloquen-  
tiæ & liberalium artium Compluti  
professore, atq; ibidem collega  
diui Illephonsi.

*Iesus est spes mea.  
Si quid mirabere, pones inuitus.  
Reddituro, Satis.*



CVM PRIVILEGIO REGIS.

COMPLVTI

Ioannes Iñiguez à Lequerica  
excudebat.

Anno. 1577.

fray Juan de ro S. d'illo mo  
riador en el paral de ge  
II

Año de mil y quinientos y cincuenta y siete  
Estando juntos a señalar libros, el Rector y  
Confiliarios, como lo manda la constitucion  
del Illustrissimo fundador mandaron se le-  
yesse de regēcia este libro, lo mismo se ha des-  
pues aca siempre mandado, tiene se dello el  
secretario dela Vniuersidad.

Ad

AD PER MAGNIFI  
CVM DOMINVM RE-  
ctorē, & vniuersam Academiam  
Complutensem, Gasparis Car-  
dilli Villalpandei Segobien  
sis in Summam sum-  
mularum

P R A E F A T I O.



I S I ego sepa numero Rector  
permagnifice, magistri sapien-  
tissimi, his auribus accepisse  
amplissimam vestram Acade-  
miam ardentissimè cupere, su-  
peratam videre, & profligatam ex gymna-  
sialorum lernam, sophisticem dico, atque  
barbariem: quæ cum ducentos fermè annos  
per vniuersam Hispaniam non impunè mo-  
dò, sed etiam magno cum studiorum omuiū  
inconmodo grassata esset, proximis his ag-  
noscit Compluti cœpit, atque expugnari: nū  
quam profectò adduci potuisse, præfertim  
hoc tempore, in quo multis sum atque maxi-  
mis

Epistola.

mis (quod vos probe nostis) occupationibus  
impeditus, ut suū mularum commentarios  
aut potius compendiū scriberem: ne me quis  
piam iure reprehenderet, quod bonas horas  
malē collocarem & grauioribus theologiæ,  
ac philosophiæ studijs hoc temporis detrahe  
rem, quod tractandi rebus non admodū fru  
giferis impenditur. Sed quoniam intelligo  
sapientissimum istum ordinem vestrū  
rationem diu diligenter inuestigasse, qua ocul  
reremus morbo huic maxime periculoſo: vi  
deo præterea passim, non obtundi modò, sed  
rumpi quoque vestras aures inprobis clamo  
ribus studiosorum iuuenum, contendētium  
quantum possunt efficere, ut perturbatis at  
que afflictis studijs dialecticę & philosophię  
opem feratis, ea saltem in compendium redi  
gentes quæ istarum artium scriptores culpa  
fortasse temporis potius quam ingenij, fullo  
re quidem, parum tamen culta accurata, ve  
raque oratione scripta nobis reliquerunt: in  
animum induxi meum, multorum efflagita  
tionibus permotus, maximè verò nōcorum  
auditorum, quos ego charissimos habeo, ali  
quid scribere, quod tametsi per se non satis  
esset ad efficiendum absolutum, consumma  
tumque dialecticum, quibusdam tamen ve  
luti

Epistola.

Iuti facibus admotis, alios ad ea elaborandū  
quæ decessent, inflammaret, atque interim le-  
uiora in studijs bonarum artium inconmo-  
da pateremur. Et haec tenus quidem à me ces-  
satum est, partim quod agnoscere, quam es-  
set mihi domi certa supplex : partim etiam  
quod sperarem fore, ut breui haberemus ve-  
stra diligentia atque studio confectum opus  
quod vniuersa Academia, opis indigavestre  
iure quodam suo à vobis reponscere atque ef-  
flagitare tanti videtur. Verum cum ani-  
maduerterem differri diutius remedium &  
curationem quam morbus ferat : resumpto  
animo, & viribus colectis, statui ingenij vi-  
res periclitari, & quid ipse hac parte possim  
experiri. Et sane cum id mihi maximè vide-  
retur præsenti rerum atque studiorum Com-  
plutensum conditioni conuenire (nam deli-  
catoria fastidientis palatum respuit, habetq;  
suspecta) summulas (quas vulgo vocant) in  
pauca contuli, & summulam sumularum cō-  
feci. Hoc verò non sicut nobis difficile admo-  
dum factu, eo præsertim tempore, quod ex of-  
ficio præceptoris summulis enarrandis à no-  
bis impēdebatur. De ea ergo re plerisque de-  
tractis, castigatis alijs, non nullis etiā madi-  
ctis, iustum volumen confecimus: in quo quā-  
tum

Epistola.

tum res ipsa de qua agitur pati videretur puritatē latini sermonis retinuimus : ne , vt sit, qui diale&tice initiantur, frequentibus solē cīmis toties offendarentur. Et quoniā nihil est omnino qđ æquè laudari debeat , & possit in scriptore, atq; ordo, & præceptorū quæ tradūtur, suo loco collocatio, dedimus operā ut que tractabamus suis singula locis dicemus: qđ fuit hactenus à sophistis temerè præcipientibus prætermissum. Hūc nostrū labore tenuē, sīrē existimes, dignissimū tñ laude, si quo ille à nobis suscep̄tus est, animū consideres, tibi Rector permagnifice, atq; etiā vobis patres sapiētissimi, vniuerso etiā gymnasio offerimus, cōsecramusq;. Nā quibus obsecro aptius atq; cōmodius offerri possit , quā ijs viris, atq; etiā illi Academię, à qua accepi mus quod habemus, & cui debem⁹, quicquid sumus? Vos igitur patres sapiētissimi, suscipite quo animo hoc pignus grati animi ergavos: & me qui illud exhibeo, nihilque aliud quā de Academię vestrę dignitate , atq; amplitudine cogito, adiuuate. Perpēdite animo hoc esse quod vos habitis sēpe numero publicis comitijs, in quibus de instauranda forma studiorū agebatur, faciēdū esse cēsuistis. Reducite, per deū immortalē in memoriā vestrā

huc

Epistola.

huc nōs amplissimi huius gymnasij modera-  
tores vocare, legib⁹ de ea re latis. Audite quid  
sentiat Academiā: quid clamet iuuēt⁹ vniuer-  
sa: quid velit cupiatq; magna doctissimorū  
hominū pars . Ne quę soferatis ab studiōsis  
iuuenibus, qui relicta patria, parentib⁹ atq;  
amicis ad vestrā Academiā, tāquā ad doctissimas  
Athenas disciplinarū causa cōfugiūt,  
& vos charissimorum parētū loco habēt, nō  
solū rei familiaris iacturā fieri, sed temporis  
pr̄terea rerū pretiosissimi atq; operę. Effugi-  
te iā tādē nigrā illā notā, quā nobis tot annos  
Salmātica inurit, quod mēdicato viuam⁹, at  
que aliena discamus diligētia, quā nobis tam  
carē vendit, quā cupit. Studeamus dare alijs  
cōparandi disciplinas atque artes pr̄cepta:  
aliena pculabijciam⁹, quandō nos nobis, at  
que alijs satis esse possumus. Hæc si feceritis,  
animū, mihi credite, multis facietis ad ex co-  
gitandū, scribendūq; grauiora: addetis insu-  
per calcaria multis studioſis adolescentib⁹  
ad studia liberaliū artiū, quas vehemēter tra-  
ctate reformidāt, ne in Scyllā & Charibdim  
atque alia sexcenta, barbara mōstra, & sum-  
mularia incurvant, vnde non sine magna gra-  
uiq; iactura iudicij, ingenij, Latinęq; lingue  
in portium possint enauigare. Quod si etra  
huma-

Epistola.

Humanitas patres sapientissimi, liberis vestris, his in quam quos in lucem extulisti, aliquisti laetè doctrinæ vestræ, atque indulgenter haec tenus tractauisti, quod timo, desit, nihil est, quod a vestra humanitate, atq; animi candore profectum sperare possint. Ego sane grauissimi patres, illud deme audeo polliceri, si me vestra benevolentia atque etiam liberali animo prosequamini: si laborem huc meum aliquo loco reposueritis. si qua parte à me peccatum in scribendo sit, vt parētes decet, admonueritis: & meum animū erga vos atque amplissimam vestram Academiā probaueritis: daturum operam diligenter, vt in vestræ Academiæ gratiam non post multos hos dies commentarij in vniuersam dialecticam & philosophiam Aristotelis, in median lucem hominum ex bibliotheca nostra prodeant: tametsi compertū habeam, non facile posse me oppigneratam istam fidem resolute re, sine magna salutis atque etiam rei familiaris iactura. Sed hanc nos æquo animo fere mus modò suppetat nobis, vnde sumptus fac repossimus, amplissimā huius rei publicæ literarię causa. Ex collegio & bibliotheca nostra Idibus Februariis.

Liber

Liber primus.

# LIBER PR' I

MVS DE TERMI

nis, Authore Gasparo Car-  
dillo Villalpandeo  
Segobiensi.



ANC de terminis di-  
sputationē est animus  
in tres partes diuidere,  
iuxta cōmūnem vulga-  
tamq; consuetudinē eo-  
rū, qui hactenus de ter-  
minis scripserūt. In pri-  
ma parte de termino,  
oratione, propositione, consequentia, diffini-  
tione, diuisione & significatione agemus. In  
secūda persequemur diuisiones terminorum,  
quę vulgò ferūtur. In tertia, de suppositione,  
descensu, & ascensu, ampliatione, & appella-  
tione dicemus: quorū cognitio multū cōducit  
ad ea intelligēda, quae sophistæ in summulis,  
quas vocāt, tractauerūt. nō nihil prēterea af-  
fert emolumenti ad dialecticæ cognitionem  
parandam.

B De

Liber primus.  
DE TERMINO.  
CAP. I.

**P**rae tractationis ratio postulare videtur, ut à termino exordiamur, quia terminus cæterorum omnium fundamentum est.

Terminus multis modis definiti consuevit ut sunt multi, qui de terminis scripserunt, verum duæ eius definitiones præ cæteris probantur. Una est Aristotelis libro. I. priorum: altera sophistarum, ad quam ceteræ omnes referri possunt nullo negotio.

Aristoteles terminum vocat **extremum** propositionis, id est, subiectū, & prædicatū, in quæ tanquā in partes propositio resoluitur. Verbi gratia, homo & animal termini, iuxta sententiā Aristotelis, appellatur, quando sunt extrema huius propositionis, homo est animal. Vnde opinione Aristotelis verbū, Est, non debet terminus putari, nisi ratione participij inclusi. quia verbum, Est, non est extremum cuiuspiam propositionis, nisi participij causa: sed tantū copulat & coniungit extrema. Similiter iuxta sententiā Aristotelis, homo & animal, & id genus alia cū per se sumuntur, termini non sunt actione, sed potestate: quia possunt extrema

Summæ summularum.  
trema esse collocata in propositione, actione ve  
rò non sunt extrema.

Appellat autem Aristoteles terminū, quod Grammatici dictionē, quia finit propositio  
nē, & est eius extreum. Nec mirum est alio modo à Grāmaticis vocari, quām à Dialecti  
cis, cùm sit Grāmatica diuersa facultas à Dia  
lectica: & necesse sit voces quibus diuersæ v  
tuntur facultates, esse diuersas.

Alia etiā definitione terminus solet vulgo definiri: ea est, Terminus est signum ponibile in propositione. Quae sanè definitio differt à priori, quia priori, vt diximus, solum appellātur termini subiectū & prædicatum in pro  
positione posita: ista uero, cōprehēdit dictio  
nem, etiā si seorsum existat, & non sit prædi  
catum, aut subiectum: quia est signum ponibi  
le in propositione.

Præterea ista definitione, uerbum, est, cōpre  
henditur, quod non comprehendebatur prio  
ri. Tertiō, ista definitione comprehenduntur omnes octo partes orationis, quia sunt signa ponibiliā in propositione, atquinō compre  
hendebātur ones priori: quia nō omnes subie  
ctū & prædicatū esse possunt. Voces etiā ex  
pertes significatus, vt Blytiri, scyndapsus cō  
prehēdūtur ista definitione, quia possunt po

Liber primus.

In propositione, cùm dicimus: Blytiri nihil significat. scyndapsus est vox,

In definitione collocatur signum. quod intellige doctrinalē, hoc est pertinens ad doctrinam comparandam: non artificiale, quo in bello & cœtu hominum uti solemus ad rem significandam: nam istud signum terminus nō est.

Cùm autem dico ponibile, intellige per se, aut per sibi simile. Quædam enim orationes (quas vulgo terminos vocāt) non possunt per se collocari in ppositione. vt Petre fac ignē. At verò ut termini sint, satis est ratione similiū, in propositione collocari: vt facias ignē: cùm dicimus, volo ut facias ignem, Eādē etiā etiam particula atramentū excluditur à ratione termini, quia licet possit in propositione collocari. terminus non est, quia non est signū, sed res aut materia, ex qua scriptura conſicitur.

*¶ De Oratione. CAP. II.*

**E**X terminis fiunt orationes: quare explicata natura termini, ad orationem sermo referendus est. Est igitur oratio (vt pingui Minerua

Minerua loquamur) plures dictiones cōgruē se habētes. Ut homo est animal : homo albus. Congruē autem se dictiones habere, est cōiunctas esse dictiones iuxta præcepta artis Grāmaticæ, præsertim concordantiarum Grammaticalium, adiectiui, videlicet, & substantiui, relatiui & antecedentis, nominatiui & verbi.

Oratio est duplex, vna perfecta, altera imperfecta. Oratio perfecta est, qua audita mēs eius qui audit, quiescit; nec quidpiam expectat amplius. Sunt id genus, orationes indicatiui, & imperatiui modi, & nonnullæ optatiui. Imperfecta est, qua audita in mēs eius qui audit nō quiescit, sed aliquid amplius requirit. Verbi gratia, me legere, cū legerem. Sunt id genus orationes omnes subiunctiui, & infinitiui modi.

### *De propositione. CAP. III.*

**O** Ratio genusest propositionis. quare genere explicato, æquum est ut ad species transferamus sermonem.

Oratio itaque in communi accepta, duplex est. quædam est propositio: alia non proposi-

B 3 tio.

Liber primus.

tio. Propositio est oratio verè vel false signifi-  
cans. Omnis autem propositio verbo constat  
modi indicatiui, cuiusuis temporis illud sit.

Ex hac definitione colligo, duplice esse pro-  
positionem: vna veram alteram falsam. pro-  
positio vera est quæ significat ita esse sicut est.  
Est autē huiusmodi illa propositio, quam pro-  
ferenti possumus dicere, verū dicis. Vt homo  
est animal, homo nō est equus. Falsa est, quæ  
significat aliter esse quam est. Id genus est ea  
quam proferenti possumus dicere, mentiris,  
aut falsum dicis. Vt homo est equus: homo  
non est animal,

Oratio non propositio est, quæ nec verum,  
neque falsum dicit. Huiusmodi sunt oratio-  
nes cæterorum modorum ab indicatiuo. Cu-  
ius rei argumētum est, quia illas proferēti ne  
mo potest dicere, cum ratione, mētiris aut ve-  
rum dicis. Vt vtinam sol luceret, sterne lectū.  
me disputare.

Dūplex est propositio, vna categorica, alia  
hypothetica. Cathegorica, quæ Latine sim-  
plex aut prædicatiua vocari potest, est quæ  
subiecto cōstat & prædicato tanquā partibus  
proximis. Exēpli gratia, homo est animal.

Subiectum est de quo alterum dicitur quasi  
alteri subditū ut homo, in assignato exēplo,  
predica-

Summæ summularum.

4

prædicatū quod dicitur de altero: ut animal  
in eodem exemplo Tanquam partibus pro-  
ximis dixi, ad assignādū discriminē inter ca-  
tegoricam, & hypotheticam propositionem.  
Nam tametsi vtraq; subiecto constet & præ-  
dicato, categorica proximè & nullo medio  
interiecto his constat: hypothetica mediate,  
hoc est, medio interiecto, proximè enim effi-  
citur constatque duabus propositionibus ca-  
tegoricis, vt suo loco dicemus: & explanatū  
est à nobis. i. pár. animaduersorum in terni  
nos

Bifariam verò contingit habere has partes  
actione inquam, & potestate. Actione, cum  
exprimuntur partes, potestate, cùm non ex-  
primuntur sed intelliguntur à nobis. vt si in-  
ter disputantes conueniat, vt litera. A uerbi  
gratia, significet tantundem quantū ista ora-  
tio, homo est animal.

Hæc propositio quadruplex est. vniuersalis  
Particularis, Indefinita, Singularis, vniuersa-  
lis est illa, cuius subiectum est nomen com-  
mune signo vniuersali affectum vt omnis ho-  
mo est animal.

Particularis, cuius subiectum est nomen cō  
mune signo particulari affectum: ut aliquis  
homo est animal.

B 4

Inde-

Liber primus,

Indefinita, cuius subiectum est cōmune nūllo signo affectum: quæ ob eam causam indefinita vocatur, quod nullo finiatur signo, vt homo est animal.

Singularis est, cuius subiectum est singulare, vt Socrates currit: aut commune, cum pronominis demonstratiuo. vt hic homo currit.

Signum, quod attinet ad hanc rem, duplex est: vnum vniuersale, vt omnis, nullus, quilibet: aliud particulare, vt aliquis: aliquis non, nonnullus.

Hypothetica propositio est quæ pluribus cōstat categoricis: vt Socrates legebat, & audiebat Plato. Vel pluribus alijs orationib⁹: quod contingit in conditionali propositione: vt, si curreret, moueretur. Si legeret, loqueretur.

Rursus, vniuersa propositio duplex est: una affirmans, altera negans. Affirmans est, cuius præcipua copula affirmat. vt homo est animal. Socrates legit, & Plato audit. Præcipua copula in propositione categorica est verbū: in hypothetica coniunctio, qua efficitur hypothetica propositio.

Negans est, cum præcipua copula negat: vt, homo non est equus: non si Socrates legit, Plato audit. Quia verò in propositionibus quodammodo inest substantia, & quantitas, & qua

litas,

litas, tribus vocibus vti dialectici consueuerunt, quibus interrogarent de his. Sunt voces, Quæ? Qualis? Quanta? Quæ, substantiæ quærit, & respondere illi quæstioni debemus, est categorica, authypotetica. Qualis, qualitatè: respōdemus ita interroganti, affirmans est, aut negans. Quanta, quantitatem: & sic querenti dabimus, vniuersalem, aut particularē, aut indefinitam, aut singularem propositiōnem.

**¶ De consequentia vel argumentatione.**  
**CAP. IIII.**

**C**Onsequentia seu argumētatio est forma aut ratio vnum ex altero colligendi: Ut currit, ergo mouetur.

Tres autem species argumentationis sunt si ex coniunctione illatiua discrimen sumamus. Conditionalis, vt si curri mouetur. Causalís, quia currit mouetur. Rationalis, currit, ergo mouetur.

In omni verò cōsequētia tria existunt, antecedens, consequens, & nota illationis. Antecedens est ex quo aliud colligitur: vt currit. Consequens, quod colligitur ex alio, vt moue-

B 5 tur,

Liber primus.

tur. Nota illationis est cōiūctio innuens vñū ex alterocolligi, vt ergo, si, quia. Contingit autem interdum, vt pro antecedenti constituantur due propositiones: quod vbi accidit, prior vocatur maior, posterior minor. vt cū ita colligo, Omnis homo est animal, Socrates est homo. ergo Socrates est animal.

Quoniam verò consequentia dicit illationem unius propositionis ex altera, quæ semel bona consequentia est, semper est bona, hoc est quod semel recte colligitur, & ratione formæ atque dispositionis propositionum ex altero, semper recte colligitur.

Ex his sequitur, quòd ex vero non nisi verum colligitur, hoc est, si consequentia sit bona, & consequutio legitima, ex antecedenti vero, necessariò consequens infertur verum. Quare quia ista est legitima argumentandi forma, homo currit, ergo mouetur, si antecedens sit verum, necessariò cōsequens erit verū

Secundo sequitur, quòd ex falso quādoque colligitur verum, quandoq; falsum, hoc est, si consequentia legitima sit, & antecedens falsum, potest colligi modo consequens verum modo falsum. verbi gratia, cū ita colligo, Socrates currit, ergo mouetur. Si consequens falsum sit antecedēs planè falsum est. Colligitur autem

autem verū consequens ex falso antecedenti  
cum ita colligo. Omnis homo est arbor, Pla-  
tanus est homo, ergo Platanus est arbor.

Sed antequam hinc discedamus, admonen-  
dus mihi lector paucis est, Plura enim scripsi-  
mus de hac re in libello nostro de ratione dis-  
putandi quem simul cum commentarijs in to-  
pica in lucem emisimus, quo pacto manus cū  
hoste conserere debeamus, id est, qua ratione  
pueri disputare debeant.

Principio qui arguit, illis verbis utetur, ar-  
guo, probo, confirmo. Qui verò respondet il-  
lis, nego quod falsum est: dubito, qđ ignorat:  
distinguo, quod dubium est: trāseat, quod mi-  
nimè ad rem de qua agitur probaudam, per-  
tinet,

Deinde, quando respondet, propositam ra-  
tionem, vel argumentationē animo accipiet,  
atq; examinabit eandem diligenter. Quod si  
consequentia vitiosa appareat, neget statim  
consequentialiam, & nihil videbitur fecisse ad-  
uersarius. Si verò consequentiam legitimam  
putarit, animum referat ad antecedens: id si  
duabus partibus constet, utrāque diligēter exa-  
minet, & aut utriusque, aut alterius vitium o-  
stendat: Id si fecerit, consequentia nihil effi-  
ciet. Verūtamen si consequentiā probauerit

&amp; an

Liber primus.

& antecedens verum esse putet, velit nolit, cō  
uincetur aduersarij laqueis. Sed quoniam ista  
omnia lōge melius, v̄su, atque exercitatione,  
quām præceptis discuntur, non est animus in  
eandem sententiam plura conferre.

*De definitione. CAP. V.*

**Q**uoniam definitione dialektici plurimū  
vtuntur, illa enim instrumentum est facul  
tatis differēdi, de definitione est nobis in præ  
sentia succincte, & sub quadam breuitate di  
sputandum. Ea, vt intelligatur exactius, diui  
denda nobis est, antequam definiatur.

Duplex est igitur definitio, vna nominis,  
altera rei: de priori differemus inferius, nunc  
de definitione rei differamus.

Definitio rei est oratio explicans naturam  
aut proprium aliquid rei.

Definitionis rei duę sunt partes, vna quę ex  
planat naturam rei, altera quę explanat pro  
prium aliquid.

Illa explanat naturam, quę cōstat partibus  
substantialibus, aut essentialibus rei, vt ista de  
finitio, animal rationale. Explicat enim ho  
minis naturam, quę constat corpore & anima  
rationali;

Summæ summularum,  
rationali: quarum partium altera hoc est, cor  
pus, nomine animalis exprimitur. altera, hoc  
est anima, nomine rationalis.

Hæc verò quæ naturam explanat, definitio  
substantialis, essentialis, & quiditatiua voca  
tur.

Quæ verò proprium explicat, aut declarat  
alicuius rei accidens, descriptio dicitur: Ut  
animal aptum ad ridendum, Describit homin  
em, non quidem ut homo est, sed ut ridendi  
facultate praeditus est.

Quoniam verò definitio & definitum inui  
ceni referuntur, nam definitum definitione de  
finitur, & definitio definiti definitio est, pau  
cis dicendum est quid sit definitum.

Definitum, quantum licet colligere ex de  
finitione definitionis, est id cuius natura, aut  
proprium explicatur per definitionem. Hu  
ius enim definitionis substantialis, animal ra  
tionale, definitum est homo, quia eius natura  
explicatur per definitionem. huius verò ani  
mal aptum ad ridendum, homo est definitum,  
non ut homo est, sed ut risibilis, quia eius pro  
prium explicatur per cani definitionem.

Duplex est autem definitum, unum proxi  
mum, alterum remotum. Proximum defini  
tum est, cuius natura aut proprium explica  
tur

Liber primus.

etur per definitionem ut ab ipso significatur, ut homo huius definitionis animal rationale. Explicatur enime definitione hominis natura, ut homo est. Item risibile huius definitionis animal aptum ad ridendum: quia proprium hominis explicatur ea definitione, ut significatur per nomen risibile,

Remotum definitum est, cuius natura, aut proprium non explicatur per definitionem, ut per illud significatur, ut homo huius definitionis animal aptum ad ridendum. Non enim homo significat hominem, ut aptus est ad ridendum sed ut est animal rationale. Itē risibile huius definitionis, animal rationale, remotū definitū est, quia non explicatur risibile ut risibile est ea definitione. sed ut homo. Est autē definitū proximum non terminus, ut terminus est sed res quae significatur per terminum. Nam ista definitio, animal rationale, non explanat naturam huius nominis homo, ut nomen est, sed rei. Sed de hac re plura diximus, cum errores Iacobi Naueri refelleremus.

Ex his sequitur necessarium esse, ut uerum definitum, id est proximum, conuertatur cū definitione. ratio est, quia alioqui definitio non explicabit naturam definiti, quatenus significatur per definitum. singulare enim

non

non definitur nisi in uniuersali, ut singuli homines, cum definitur homo.

Quædam autem sunt præcepta recte definiendi. Primum est, quod in definitione collocetur genus & differentia, vel aliquid pro genere, & aliquid pro differentia. Ut cùm dicimus, animal rationale. Animal enim genus est, & cōmunius homine, rationale differentia homini æqualis, quæ cù generi ab soluit definitionem. Istud verò perpetuum est quādo definitio aut naturā explicat rei, aut proptium.

Secundum præceptum est, Definitio debet esse apertior suo definito. Ratio est, quia definitione utimur, ut rem cognoscamus: si ergo definitio obscura est: nō affert utilitatem ad comparandam cognitionē definiti.

Tertium præceptum, definitio debet esse breuis oratio, alioqui non facile eadem uti poterimus ad rem cognoscēdam. Quare definitiones quibus sophistæ utuntur, ferendæ non sunt, quia multis verbis constant.

Quartū præceptū. Definitio debet cōuerti cù definito. Hoc est, de quibus dicitur definitio debet prædicari definitum, & cōtraria ratione. Ut animal rationale cōuertitur cù homine, aptum ad ridendum cù risibili. quorum sunt definitiones.

Vltima

Liber primus.

Vltimum præceptum. In definitione non debet quicquam redundare, neque deesse: vt in hac definitione, animal rationale. Quare ista oratio, animal rationale Grammaticum, non est hominis definitio, quia in ea redūdat nomen illud Grammaticum, cuius culpa non conuertitur cum homine: quia illa oratio de paucioribus prædicatur quam homo. Similiter ista oratio, animal mortale, non est definitio hominis, quia in ea deest rationale: & huius rei causa non conuertitur cum homine: nā de pluribus dicitur animal mortale, quam homo. Bruta enim animantia, animalia mortalia sunt, homines verò non sunt.

¶ De definitione nominis.

CAP. VI.

**D**Efinitio nominis est oratio explicans significationem nominis, non rem. Ut cū dico, parcus est par arcę. Sacerdos dans sacra. **L**ucus quia luceat.

Idem est autē nominis definitio, quod etymologia, aut nominis interpretatio. Ut tamē obiter hoc dicamus, definitio non debet bona, aut mala vocari, sed vera aut falsa: ad qđ afferen-

asserēdū inducimur testimonio, atq; autorīta  
te eorū hominū, qui de lingua Latina optimè  
meriti sunt. Est id genus Cicero, Varro, Ge-  
lius, atque alij, qui cum definitionis mentio-  
nem faciunt, veram, aut falsam illam vocant:  
codem etiam modo illam vocant omnes Grē-  
ci Aristot. enarratores. Veram quidem, si vt  
par est, ex planet naturam rei. falsam, si nō ex  
planet, vt æquum est, rei naturam. Sed de ea  
re plura diximus, cum errores Iacobi refelle-  
remus.

*De diuisione. CAP. VII.*

**A**lterum dialecticorum instrumentū di-  
uisio est, de qua ratio postulat, vt post de-  
finitionem pauca dicamus.

Diuisio, sicut definitio duplex est, vna rei, al-  
tera nominis. Diuisio nominis est, qua nomē  
diuiditur, vt qua diuiditur canis in domesti-  
cum canem, pīscem, & fidus.

Diuisio rei est, qua res diuiditur, vt qua diui-  
ditur animal in hominem & brūtum. Hac di-  
uisio rei ita definiri potest, est oratio disti-  
buens commune per minus communia, vt cū  
dico animal, aliud homo, aliud b. utum.

C In

Liber primus.

In omni diuisione est diuisum, et membra diuidētiā. Diuisum est commune quod distri buitur per minus cōmunia: vt animal in a fli gata diuisione. Membrum diuidēs est minus cōmune, per qđ cum alio vel alijs cōmuniū partinur, vt homo, atque brutum.

Est duplex diuisio, vna numeri pluralis, cū membra diuidentia sunt pluralis numeri: vt animalium alia homines, alia bruta. Homi nūm alij serui, alij liberi.

Alia numeri singularis, cum membra diuidētiā sunt numeri singularis, vt animal aliud homo, aliud brutum. Animaliū aliud homo, aliud brutum.

Sunt autem aliquot præcepta re&ē diuidē di, sicut & re&ē definiendi.

Primum est, quòd diuisum & membra diuidētiā conuertātur: hoc est eisdem de rebus dicantur. Vt animal, aliud homo aliud brutū.

Secundum est, quòd diuisum vere dicatur de quouis membro diuidenti. Animal enim de homine & bruto vere prædicatur, cum dicimus, homo est animal, brutum est animal. Atq; hoc illud est vulgò quòd dici solet, sub quouis membro diuidenti sub intelligi diuisum, vt plane ostendimus lococitato animad uersionum in Iacob. Nauerum.

Ter

Tertium est, membra diuidētia debent esse opposita re, vel ratione. Vulgo dicunt, realiter, vel formaliter. Re opponūtur, quando eadem rei utrumque cōuenire non potest. Vt cū dico, animal aliud homo, aliud brutū. Nam eadē res homo & brutū esse nullo pacto potest.

Ratione opponuntur, quorum est diuersa ratio licet possint in eadem re inueniri, vt cū bonum diuidimus in honestum, vtile, iucundum. Hæc enim tria membra eadem rei conuenire possunt, nempe virtuti: & ideo non dicuntur re esse opposita. Sed quoniam qua ratione bonum honestum est, nō est vtile, neque iucundum, dicuntur membra huius diuisionis ratione esse opposita.

postremo, diuisio vt minimum, debet esse bi membris. Nihil autem vetat diuisionem pluriū quam duorum esse membrorum, vt ex superiori diuisione colligitur, qua bonū diuiditur in honestum, vtile & iucundum.

## DE SIGNIFICATI- NE CAP. VIII.

**P**ostremo loco ista prima parte de significatione differendum est. Significare autem est, facere cognoscere. At verò signi-

C 2 sicare

Liber primus.

ficare vocum & scripturarum proprium est: nam vocibus significamus præsentibus, quæ animo retinemus: scripturis vero, absentibus. Cùm enim homines non possent percipere aliorum hominū cogitationes, atque animorum concepta, voces excogitatæ sunt, quibus exprimerentur, quæ animo cōprehendimus, ut præsentes inter se versari, atque viuere possent. Et cù cuperemus significare absentibus aliquid, quod vel ad eos, vel ad nos pertinet, nec possemus id efficere vocibus, aut sermoni, scripturæ inuentæ sunt, quibus absentibus loqueremur. Quam obrem voces seruiunt exprimendis conceptibus animi: scripturæ sunt instar vocum. Scripturæ autem multo tēpore post voces inuentæ sunt ab hominibus ipsa compulsis necessitate. Sed de ea re multa diximus comment. in proœcium periheminias.

Quoniā vero voces excogitatæ sunt ab hominibus, & ex institutione eorūdem illis vtimur, vt hanc, aut illam rem explicemus: voces & scripturæ dicuntur ad placitum significare, hoc est, ex impositione, id est, ex institutione hominum. Quoniam impositio est libera institutio hominum ad aliquid significantum: & depositio est libera institutio, vt non significet,

significet, quod prius significabat.

Voces vero & scripturæ trifariam significare dicuntur: aliquid, inquam, vel aliqua, vel aliqualiter, ita sophistæ loquuntur. Significare aliquid est unam dūtaxat rem significare: ut Socrates. & Plato. Significat aliqua ea vox, vel scriptura quæ significat plura: ut nomen homo. Significat aliqualiter vox, quæ significat modum rei, ut velociter, prudenter, sapienter. Hæc enim omnia rem nullam significant, sed modum tantum rei.

Quemadmodum vero voces, & scripturæ rem significant, sic etiam conceptus. sed illud interest, quod voces & scripturæ res significant ex hominum institutione, conceptus vero natura, non ex impositione, aut institutione. Atque ob eam rem concepta animi, reiū simulacra, aut similitudines vocantur, voces vero signa conceptuū appellatur, quia illis explicandis seruiunt, & scripturæ signa vocū, quia explicant ipsas voces, aut eisdem pro vobis utimur.

Vtrunque vero, vox inquam & scriptura signum earum rerum esse dicitur, quas significat ex institutione hominum. Nam cum res non possimus nobiscum adducere, nominibus utimur pro rebus, ut in commune vivamus.

C 3 Signum

Liber primus.

Signum autem est duplex, vnum naturale,  
alterum ad placitū. Naturale est quod duce  
natura, nos in alterius rei cognitionem perdu  
cit, vt fumus signum ignis, de quo plura in cō  
pendio dialecticæ à nobis scripta sunt.

Signum ad placitum est, quod rem signifi  
cat ex institutione hominum. Id est duplex,  
vnum doctrinale, quod seruit comparandæ  
doctrinæ, alterum artificiale, quod pertinet  
ad conficienda alia negotia: vt quo in bello  
milites vtuntur ad progrediendum in certa  
men, vel vt se recipient in castra.

Voces autem & scripturæ, cum signa sint re  
rum & conceptionum animi nō sunt natura  
lia signa, sed ad placitum significant, quia ex  
hominum institutione. Nō autem quocūque  
modo signa ad placitum sunt, sed doctrinalia.  
Quoniam vocibus atque scripturis plurimum  
vtimur ad scientiam rerum comparandam:  
vocibus quidem, vt per auditū discamus: scrip  
turis verò, vt per visum: vtrunque enim sén  
sum Aristoteles appellat sensum disciplinæ.  
Hæc de significatiōe dixisse sufficiat, vt quæ  
initio polliciti sumus nos prima parte dictu  
ros, explanata aliquo modo videantur: eo vi  
delicet, quem institutio postulat.

Se-

**S E C U N D A P A R S T E R**  
*minorum. Determino significatiuo &*  
*non significatiuo.*

**C A P . I .**

**T**erminus, cuius definitionem prima parte tradidimus, multis modis vulgo distribui consuevit, quoniam multis modis terminus considerari potest.

Primum autem omnium terminus potest per se considerari: deinde cum altero comparatur. De termino qua ratione cum altero confertur, dicemus postea: nunc de illo est disserendum, qua ratione per se sumitur: hoc est non comparatur alteri. Ista verò ratione multis modis diuiditur à Sophistis: nam huiusmodi primam diffinitionem nos non omnino probamus: rationem cur illam improbemus, secunda parte animaduersionum reddidimus.

Principio duplex est terminus: quidam vulgo significatiuus dicitur: & est ille qui significat rē aliam præter se: vt homo: alius dicitur non significatiuus, ille in quam qui nihil aliud à se significat. vt Blytiri, scyndapsus.

2013 C 4 De

Liber primus.

¶ De termino mentali & scripto.

CAP. II.

**T**riplex est terminus, siue ille significet, si  
ue non: vnuis mentalis, aliis vocalis, scri-  
ptus alias, eorumdem Sophistarum opinione.  
Terminus mentalis est conceptus in animo  
existens: ut cognitio qua patrem agnosco, vel  
quampiam aliam rem.

At qui ut est vox quae significat aliquid, &  
quae aliqua, & quae aliqualiter, sic est triplex  
conceptus, cōceptus rei vnius, ut Socratis aut  
Platonis, aliquid significat; conceptus vnuis  
pluriū aliqua, ut quo concipio homines; con-  
ceptus modi rei, aliqualiter, ut velociter.

Verum cōceptus duplex est, vnuis vltimus,  
alius non vltimus. Conceptus vltimus est cō-  
ceptus rei significatae per vocē, ut cōceptus ho-  
minis ipsius.

Conceptus non vltimus est conceptus vocis  
significantis rem, ut conceptus quo vocē, ho-  
mo, cognosco, quae hominem significat.

Dixi conceptum non vltimum esse conce-  
ptum vocis significantis rem, quia si sit conce-  
ptus vocis expertis significatus, iam non est  
existimandus conceptus non vltimus, sed po-  
tius

13

Summæ summularum,  
tius conceptus vltimus: huiusmodi est conce  
ptus Blytiri, & scyndapsus.

Dicitur cōceptus nō vltimus, is qui habetur  
de voce rem significante, Quia ea vtiniur ve  
luti medio ad comparandum conceptum rei,  
& non conquiescimus habito eo cōceptu. Ut  
enim vocibus pro rebus vtimur, sic vocū ipsa  
rum conceptiones paramus, vt res agnosca  
mus, quæ significantur ipsis vocibus. Vltimus  
verò conceptus ea causa vocatur is qui de re  
habetur, quam terminus significat, quia com  
parato eo non vltierius progredimur, sed con  
tentii sumus.

Conceptus deinde duplex est: unus quem  
directum vocant, appellari à nobis rectus cō  
ceptus potest, alijs est reflexus.

Rectus conceptus est conceptus rei, aut di  
ctionis; vt conceptus quo cōcipio hominem:  
& præterea quo cognosco vocem hāc homo,  
aut hanc dictiōnem Blytiri.

Cōceptus reflexus est cognitionis cognitionis  
existentis in eadem potētia: vt cognitionis qua  
cognosco me cognoscere, quod sāpe numero  
experior.

Dicitur rectus conceptus quia recta nos per  
ducit in cognitionem eius rei, cuius est conce  
ptus. Reflexus verò, quia vt illum habeamis

Liber primus.

mens se vertit in se ipsum , & quodā modo se  
fleētit.

Hinc sequitur, quod cognitio qua angelus  
cognoscit notitiam existentem in potentia  
alterius, reflexus conceptus non est. Quod in  
de patet. Primum, quia licet sit cognitio alte  
rius cognitionis, utraque cognitio nō existit  
in eadem potentia, sed in diuersa. Deinde quia  
ut angelus paret illam notitiam, nō se fleētit  
in seipsum, sed recta illam accipit.

Secundo sequitur, quod notitia, quā omnia  
agnoscuntur non est reflexa, sed recta, aut di  
recta, ratio est, quia licet ea agnoscamus noti  
tiamquae comprehendit entis conceptu, nō  
illam agnoscimus ut notitiam, sed utrem: nec  
ut illam cognitionem comparemus, vlo pa  
eto mens se fleētit in seipsum.

Postremo sequitur, quod terminus mentalis  
non potest cadere à sua significatione. Ca  
dere terminum à sua significatione, est termi  
num manentem non significare, quod prius  
significabat, quod in voce & scriptura plane  
cernimus. Nā cū illæ significet ex institutio  
ne hominū, manetes deponi possunt, quod si si  
at, dicetur à significatiōe cadere . Quod autē  
hoc nō possit accideretur termino mētali, inde  
potissimū cōstat, quia cū terminus mentalis,  
aut

aut notitia, sit naturale simulacrum eius, cuius est notitia, quo cunque tempore daret notitia reddit id cuius est simulacrum.

Terminus vocalis est idem quod vox, qua ad aliquid significandum utitur: ut vox homo, animal & similes.

Terminus scriptus est idem, quod scriptura, ut nomen homo scriptum, nomen Leo, & alia id genus.

### **¶ De termino categorematico & syncategorematico. CAP. III.**

**T**erminus significās duplex est, unus categorematicus, alias syncategorematicus.

Terminus categorematicus ille est, qui potest esse integrum prædicatum in propositione. ut homo, cū dico, Socrates est homo, & animal, cū dico, homo est animal.

Terminus syncategorematicus est, qui nō potest esse integrum prædicatum in propositione. ut signum omnis, quilibet, & id genus alia.

Definitiones vtriusque termini ex etymologia capi possunt. nam categorematicus terminus vocatur, quia potest esse integrum prædicatum

Liber primus.  
dicatum in prepositione: syncategorematicus, hoc est compredicatus, quia per se non prædicatur, nisi addatur termino categorico.

Vtrum autem nomen adiectiuum possit esse integrum prædicatum, necne monstratum est à nobis secunda parte animaduersionū in librum terminorum.

Categorema & syncategorema trifariam à sophistis diuidi consuevit. videlicet in categorema officio tantum, & significatione tantum, & officio atque significatione simul. Categorema officio tantum vocant, quod potest esse integrum extrellum in propositione, licet non significet aliquid, nec aliqua. ut verbum est, cū dicimus, homo est. Sed verum ne id, an falsum sit, ostendimus secunda parte animaduersionum. Categorema significatione tantum est, quod significat aliquid, vel aliqua, sed non potest esse integrum prædicatum, ut casus obliqui. Categorema officio & significatione, quod significat aliquid, vel aliqua, & potest esse integrum prædicatum, ut casus recti: homo, animal. Similiter syncategorema triplex est, officio tantum, quod est significatione categorica, significatione tantum, quod est officio categorica, officio & significatione

catione simul, quod neque significat aliquid, neque aliqua, neque integrum prædicatu esse potest, ut signa quæ diximus. Opponuntur vero tantum categorema, & syncategorema officio, & significatione simul, cætera enim confunduntur.

*¶ De termino complexo & incomplexo.*

*CAP. IIII.*

**R**VRsum terminus est duplex, unus complexus, alter incomplexus. Complexus (ut pingui Minerua loquar) est plures dictiones congrue se habentes: nam isto pacto definita est a nobis prima parte oratio, quæ idem est cum termino complexo, ut homo est animal, homo albus. Vnde sequitur, quod voces illæ, homo, equus, leo, non sunt terminus complexus, quia licet plures sint dictiones, non se habent congrue, sed ineptè atque incongrue, nisi sub intellecta coniunctione putemus equi ualere huic orationi, homo & equus & leo: nā nisi intelligamus coniunctionem, plures termini sunt, non unus. Terminus incomplexus, est unica dictio, ut homo, equiferus, dominus, & id genus alia. Complexus terminus est duplex,

Liber primus.

plex unus complexus complexione distanti;  
alius complexus complexione indistati. Ter-  
minus complexus complexione distanti est,  
cuius partes coniunguntur aliqua coniunctio-  
ne, vel verbo. Verbi gratia, homo est animal.  
Socrates & Plato: terminus complexus com-  
plexione indistanti ille est: cuius partes non  
coniunguntur aliqua coniunctione, vel verbo  
ut homo albus, homo disputans,

*DE TERMINO ABSOLV-  
TO & denominatio. Cap. 5.*

T Erminus præterea qui significat, duplex  
est, unus absolutus, aliis denominatiuus,  
vulgo connotatiuus vocatur. Terminus abso-  
lutus est, qui ab altero non sumit appellationem.  
ut nomen homo, nomen leo, & similia. Deno-  
minatiuum nomen est, quod ab alio sumit ap-  
pellationem, à quo solo casu differt, ut album  
ab albore: nigrum à nigrore, à fortitudine for-  
tis, à sapientia sapiens. Hæc enim omnia con-  
notatiua vulgo vocantur, ab Aristotele autem  
in antepredicamentis denominatiua. Duplex  
est de nominatiuū nomine, unū denominatiuū  
intrinsicè, aliud extrinsicè. Denominatiuum  
intrin-

intrinsecè illud est, quod tribuit alteri appellationem aut denominationem essentialē, ut rationale, nam denominatio quā homini tribuit, ab anima sumitur rationali, quae est pars hominis essentialis.

Denominatiuum extrinsecè est, quod tribuit alteri denominationem accidentariam ut album, nigrum, fortis: omnes enim istæ appellations sumuntur ab aliquo accidēti, quod possit adesse subiecto, atque abesse sine subiecti corruptione.

Rursum denominatiuum nomen est duplex vnum positiū, alterum negatiū. Posituum tribuit alteri accidens aliquod, ut album nigrum, negatiū tollit accidens à subiecto ut cæcus adimit visum subiecto, pauper adimit diuitias, caluitum adimit capillos.

## *DE TERMINO PRIMÆ et secundæ impositionis. Cap. 6.*

A Dhuc terminus qui significat duplex est, unus primæ impositionis, aut intentionis: alter secundæ impositionis aut intentionis.

Terminus primæ intentionis aut impositionis

Liber primus,  
nis ille est, qui significat rem, aut accidēs rei,  
vt homo, albus, curro, dispueto.

Terminus secundæ intentionis aut impositionis ille est, qui significat dictionem, aut accidentis, propriumue dictionis,

Prioris exemplum sit, nomen, verbū, genus, species: posterioris vero, explicō, signitico, diuidō: quæ propria dictionum significant.

Quāquam autem terminus primæ intentionis & secundæ ad conceptus referantur, intentione enim ad animū pertinet, vnde intendere animū dicimus, sēpē numero ad voces, vel scripturas trāsfertur: & pro eodem usurpatur nomen primæ intentionis, & primæ impositionis, secundæ intentionis & secundæ impositionis.

Appellatur terminus primæ impositionis ille, quo utimur ad significandum rem, aut accidentis rei, quia homines primum voces ex cogitauerunt, quibus res significarent, atq; alijs hominibus sensa animi exprimerent: deinde vero cūm intelligerent vocibus illis quibus vtebantur ad rem significandam inesse quedam accidentia, vt declinari per casus sine tempore, aut flecti pér modos & tempora, voces alias ex cogitauerunt, quibus ea dictionū accidentia significarent: atque ita quasdam dictiones

Etiones nomina vocauerūt, alias verba. Idem quoque contingit in cæteris disciplinis, vt in rhetorica & logica, quæ magnacx parte in noninibus occupantur.

**G De æquiuocis atque vniuocis**  
**C A P. VII.**

**P**Ræter modos à nobis explanatos, adhuc terminus qui significat, in duas partes diuidit: unus est æquiuocus, alius vniuocus. Terminus æquiuocus, de quo Arist. agit in antepredicamentis, ille est, qui multa significat diuersa ratione, vt nomen canis. Significat enim domesticum cantem, & canem sydus, & canem piscem. Nomen etiam homo viuentes homines significat, atque etiam pictos, sed diuersa ratione, hoc est diuersa significatione, aut impositione, aut cōsideratione, alia enim est ratio syderis, alia piscis, alia domestici canis, quatenus isto nomine canis significantur.

Vniuocus est, qui vel vnam tantum rem significat, vt Petrus, cum vnum Petrum: vel plures res eadem ratione significat, vt homo. Eadem enim positione positū fuit nomine homo ad significādū omnes homines, & illos ratiōē

**D** significi-

Liber primus.

significat eadem,

Aequiuocum verò duplex est equiuocum  
æquiuocans, & æquiuocum æquiuocatum. Si  
militer vniuocum duplex est, vniuocans, &  
vniuocatum. Aequiuocum equiuocans est no-  
men equiuocum, quod diuersa ratione multa  
significat, ut nomen canis. Aequiuoca æqui-  
uocata sunt, quæ significatur per nomen æqui-  
uocū ut canicula, domesticus canis, & piscis,  
quæ nomine canis significantur.

Vniuocum vniuocans est nomen vniuocū,  
quod eadē ratione multa significat, ut nomē  
homo, nomen Leo. Vniuoca vnicantia sunt  
quæ significantur nomine vniuoco, ut singuli  
homines, & singuli Leones,

Rursum æquiuocum duplex est vnum à ca-  
su alterum à consilio. Aequiuocum a casu est,  
quod diuersa ratione multa significat, casu  
quodam, & non ducta similitudine viiius ex  
altero, ut Petrus, cū multos significat qui ita  
appellantur.

Aequiuocū a consilio est, q̄ diuersa ratione  
multa significat, atqui vnu significat per simi-  
litudinē alterius, ut nomen homo, cū signifi-  
cat homines viuētes & pictos, & nomē canis,  
cum domesticū, sydus & pīscem significat. Cu-  
ius rationē reddidimus secūda parte nostrarū  
animaduersionum in librum terminorum.

De

**Determino communi et singulari.**

**C A P. VIII.**

**T**erminus rursum qui significat duplex est unus communis, aliis singularis.

Terminus cōmūnis est, qui multa significat ut homo Leo. Terminus singularis, qui vnum dūtaxat ut Socrates, Plato.

Istud vero singulare nomen quadruplex est: vñū determinatum, quod vnicam rē atq; illā diffinitā significat, ut Socrates, Plato.

Aliud ex demonstratione, quod cōstat nomine cōmūni, & pronomine demonstratiuo, ut hic homo.

Tertiū ex hypothesi quod ex suppositione, & conditione vnum significat: ut Sophronisci filius, significat enim Socratem ex conditione, quia solum Socratem Sophroniscus filium habuit: Mariae filius Christū significat dūtaxat ex suppositione, quia vñus fuit Mariæ filius Christus I E S V redemptor noster.

Quartum vagum, ut quidam homo. Sed de his plura diximus in comentarijs nostris in quinque voces Porphyrij.

Cōmune etiā nomen duplex est, vñū trascēdens vulgo appellatur, aliud non transcen-

D 2 dens.

Liber primus.

dens, Transcēdens est, quod omnia significat  
Sunt transcendentia, sex res, ens verum bo-  
num aliquid, vnum. Quæ significantur hac  
dictione, reubau, singula singulis literis eius  
dictionis. Hæc de communi & singulari no-  
mine sunt satis,

*¶ De termino finito et infinito.*

CAP. IX.

**N**omen adhuc quod significat. duplex est,  
vnum finitum, alterum infinitum.

Nomen infinitum est, quod componi-  
tur nomine infinito & negatione infinitate:  
vt non homo, non leo.

Duplex est negatio, quod attinet ad hanc  
rē, vna negans, altera infinitans. Negans om-  
nia quæ reperit, destruit & propositionem cō-  
stituit negantem: vt cum dico, homo non est  
animal.

Infinitantis vis non progreditur vltra pro-  
ximum terminum sed eius tantum oppositū  
reddit, & propositionem non facit negatiuā,  
vt cum dico, non homo currit. Fit igitur no-  
men infinitum ex finito & negatione infini-  
tante. Finitum nomen est, quod non constat  
negatione, vt homo, Leo.

Finitum

Finitum ea causa vocatur quod finiat, atque decernat statuatque quid illud sit quod significet, ut homo, animal.

Infinitum verò, quia nō definit, neque statuit, quid illud sit, quod significet, ut non homo: tam enim significat id, quod est, quam quod nō est, ut Arist. dixit in cap. de nomine.

### *De termino collectivo et diuisivo.*

#### *CAP. X.*

**A**Dhuc terminus qui significat est duplex, **A** collectivus inquam & diuisivus.

Collectivus est ille, qui in numero singulari de multis dicitur simul: ut populus, gens, ciuitas.

Diuisivus vero appellatur qui in numero singulari nō potest simul dici, aut prædicari de multis. Ut homo significat quidē multa, & de multis potest prædicari, etiā in numero singulari, at non simul, sed de singulis per se, ut cum dico, Socrates est homo, Plato est homo.

Nominum collectivorum quoddam significat multa inter quæ est ordo, ut ciuitas, quæ est conuentus, atque cœtus hominum iure sociatus: aliud vero multa significat inter quæ non est ordo, ut cūnulus, gens, & id genus alia.

Liber primus.  
*De terminis in numeroplurali.*  
C A P. XI.

Actenus quanta maxima breuitate pos-  
H tuimus, persecuti sumus diuisiones termi-  
norum numeri singularis, quæ passim fe-  
runtur: recte ut paucis etiam referemus diui-  
siones terminorum in numero plurali.

Termini igitur sunt in duplice differentia  
quidam sunt pertinentes, alij, impertinentes.  
Termini pertinentes vocantur illi, quorum  
vnum infert alterum, vel repugnat alteri. Prio-  
ris exemplum, homo, & aptum ad ridendum:  
posterioris vero, homo, equus.

Termini impertinentes sunt illi: quorum  
vnum non infert alterum, neque repugnat alte-  
ri, vt album & dulce. Nam neq; album infert  
dulce, neq; contra. Rursus albū non pugnat  
cum dulci, nihil enim vetat idem album si-  
mul esse, atque dulce: vt lac, butyrum.

Sed prætermisisse impertinentibus, rursus  
pertinentes dividamus: Illi sunt duplices: alij  
pertinentes sequela quia vnum infert alterū, vt  
homo & susceptiuū disciplinæ: alij, pertinen-  
tes repugnantia, quorum vnum pugnat cum al-  
tero, vt homo, atq; equus. Pertinentes sequela  
duplices sunt, quidam conuertitur aliij mini-

mē: conuertuntur qui idem pro multis significant: ut homo, & suscepituum disciplinæ: nō conuertuntur, qui non significat idem, ut homo, & animal. Qui conuertuntur, sunt adhuc duplices: quidam synonymi qui idem atque eodem modo significant, ut ensis, & gladius, indumentum & vestis. alij nō synonymi, qui licet idem significant, non significant modo eodem ut homo & aptum ad iidendum.

Repugnantes sunt etiam duplices, quidā oppositi, alij non oppositi. non oppositi sunt qui repugnant solum, quia res diuersas significant, ut homo, equus: oppositi vero, qui præterquam quod res diuersas significant quidā modo inuicem referuntur.

Hi sunt in quadruplici differentia: quidā opponuntur contrarie, alij cōtradictorie, alij priuatiue, alij relatiue.

Opponuntur cōtra dictorie duo nomina, quorū alterū est finitū alterū infinitū. Ut homo nō homo. Leo nō Leo. Cōtrarie opponuntur termini qui significant qualitates cōtraries: ut album, nigrum: dulce amarum.

Relatiue, qui duas relationes oppositas dicunt: ut Pater, filius: duplum, dimidium.

Priuatiue opponuntur duo non in a quorū alterum significant habitum, alterum priuatio nē eius habitus ut cæcum & videns. Omniū

## Liber primus,

autem eorum quæ aliquoquatuor commemo-  
ratorum modorum opponuntur, illud est cō-  
mune, quod eodem tempore, at que eadē pror-  
sus ratione de eadem re, nullo modo dicuntur  
quod plane constare possit circūferati ani-  
mumi per singula genera oppositorum. Hæc  
sunt, quæ secunda parte terminorum dicen-  
da mihi visa sunt, quod aliquo pacto condu-  
cant ad intelligenda, non solum ea quæ à so-  
phistis in summulis traduntur, sed quæ scribit  
multis locis Aristoteles. Cætera quæ dici hoc  
loco consueverunt, quoniam immodum insru-  
gientia sunt, consulto prætermisimus. Ratio-  
nes verò in contrarium nullas adduximus, ne  
tenerum auditorem perterritremus, & mole-  
sta disputatione efficeremus, vt disciplinas o-  
disset, antequam agno sceret: Quod peccatū  
frequenter peccant sophistæ. Iam tempus est,  
vt ad tertiam partem sermonem referamus.

## TERCIA PARS DESVPPO- sitione. CAP. I.

**M**Vltæ sunt terminorū proprietates, vel  
affectiones, potissimæ verò quatuor: sig-  
nificatio, acceptio, suppositio, prædica-  
tio,

tio, quam vocant sophistæ verificationem. Harum duæ priores significatio & acceptio, terminis conueniunt tam in oratione, quam extra orationem. Nam homo, verbi gratia, siue existat in oratione, siue extra orationem, hominem significat: quia hominem facit cognoscere. Accipitur etiam vox homo pro homine, siue in oratione sit, siue extra oratione. Duæ posteriores solum conueniunt termino in propositione, licet diversa ratione: nā supponere cōpetit termino existenti in propositione, cuius significatū existit tempore qđ significatur per copulam eius propositionis. Atque ita supponere est terminū existere in propositione & esse rem quam significat eo tēpore, quod dicit copula eius propositionis. Quare homo supponit, cum dicimus homo est, fuit erit. Adam verò nō supponit, cum dicimus Adam est vel erit, sed cum dicimus, Adā fuit Chimera solum supponit, cum dicimus, Chimera cognoscitur, Chimaram imaginamur. Prædicatur verò, aut verificatur terminus cū est prædicatum in propositione vera & affirmativa: vt animal, cū dicimus, hō est animal, ubi verò aliquid defit, nō verificatur terminus. Vnde sequitur quòd hæc se habet ut superius & inferius. Nā qđ verificatur, supponit: quod

29. vulgari nomine quoque in D. 5. in su-  
bito.

Liber primus.

supponit accipitur: quod accipitur significat

Suppositio duplex est, vna propria altera in  
propria. Propria est qua supponit terminus pro re quam significat naturaliter pro  
prie, vt qua supponit conceptus hominis pro ho  
mine, in propositione metali: vel qua suppo  
nit prore quam significat ad placitum propri:  
vt qua vox & scriptura pro re supponit. Et haec  
propria suppositio alio nomine personalis à  
sophistis appellatur.

Impopria est, qua supponit terminus pro re  
quam neq; significat naturaliter propri ne  
que ad placitum propri. Haec est duplex vna  
translatitia, alia non translativa. Translatitia  
est, qua supponit terminus pro re, quā signifi  
cat per translationē: vt qua supponit Nero pro  
crudeli. Apostolus pro Paulo, viibz pro Ro  
ma.

Non translatitia est, qua supponit terminus  
pro seipso. Haec enim improppria est, quia sup  
ponit terminus pro re, quam improppria signi  
ficat, non propria, vt falso putat Naueros, qđ  
nō tercia parte animaduerzionum in termi  
nos mostrauimus.

Suppositio propria duplex est, vna cōmuni  
qua supponit terminus cōmuni, vt qua sup  
ponit homo, cūdicimus, homo est animal, alia  
singularis qua supponit nomen singulare: vt  
qua

qua Socrates, cum dicimus, Socrates est homo  
 Communis deinde quadruplex est, distribu-  
 tiua, determinata, confusa, copulata. Distri-  
 butiua, qua supponit nōmē commune signo  
 vniuersali affirmatiuo immediate affectum,  
 vel negatiuo mediatē, vel immediatē modo  
 illud signum non impediatur. nam si impedia-  
 tur, non supponet distributiū, vt cū dico,  
 non omnis homo currit: quod xqui pollet hu-  
 ic, aliquis homo non currit, vel qua supponit  
 homo, cum dico, omnis homo est animal, &  
 homo & animal, cum dico, nullus homo est a-  
 nimal: negat enim omnia signum nullus. De-  
 terminata est qua supponit terminus commu-  
 nis, vel nullo signo vel particulari affectus, vt  
 homo currit.

Cūfusa qua supponit terminus cōmuniis sig-  
 no vniuersali affirmatiuo mediatē affectus vt  
 nōmē animal, cū dico omnis homo est animal.

Copulata, quasupponit nōmen cōmune plu-  
 ralis numeri signovniuersali affectum, vt qua  
 supponit nōmē apostoli Dei cum dico, omnes  
 apostoli Dei sunt duodecim? Rursum distri-  
 butiua suppositio duplex est, quadam est pro  
 singulis generum, cū terminus distribuitur, p  
 quo quis significato termini cui additur signu-  
 vniuersale: vt cū dico, omnis homo est animal  
 omne

Liber primus.

omne animal currit, alia vero pro generibus singulorum cum terminus communis distribuitur pro aliquo significato cuiusvis speciei, ut cum dico omne animal fuit in arca Noe, cuius sensus ille est, de quauis specie animalium aliquod animal fuit in arca Noe. Hæc de suppositione.

*De ascensu et descensu.*

CAP. II.

**D**Væ sunt formæ argumentandi, quibus vulgo probare solemus veras esse propositiones aut falsas, vt interim cæteras taceamus. Altera à Sophistis ascensus dicitur ab alijs inductio, altera descensus, sed appellari reductio potest, de quibus est paucis dicendum. Ascensus igitur est argumentatio, in qua ex particularibus sufficiëter enumeratis vniuersale colligitur, Verbi gratia, hic hō currit, & hic homo currit, &c. ergo omnis homo currit. Dicitur in definitione sufficienter enumeratis, quia si singularia contenta sub vniuersali non sufficienter enumerentur, nullam vim habet ascensus: seu inductio. Sed quoniam in terdum magnum negotium est, omnia individua enumerare solemus addere illam particulam,

Iam, & in cæteris similimodo, qua significamus eodem pæsto contingere in illis quæ non sunt à nobis enumerata. Descensus est argumentatio à superiori ad inferiora sufficenter enumerata, ut cum dicimus omnis homo currit, ergo hic homo currit, & in cæteris similimodo.

Vtraque prædicta argumentatio potest effici per singularia determinata, quæ significat rem certam, ut Socrates, Plato, & per singulæria ex demonstratione, quæ constant termino communi & pronomine demonstratiuo, ut hic homo. Sed cōmodius & aptius fiunt per hæc, quam per alia, quia alia accipere difficile est, Interest inter ascensum & descensum quod ascensu utimur ad construendum, hoc est probandum veram esse propositionem quam alius falsam putat: descensu vero ad destruendum, id est ostendendum falsam esse propositionem, quam alij veram existimant. Si quis enim putet istam propositionem, omnis homo est philosophus, veram esse, nos isto pæsto optime falsam esse monstrabimur, Omnis homo est philosophus, ergo iste homo est philosophus, & in cæteris similimodo. consequentia est bona, quia est descensus, sed consequens falsum est, ergo & antecedens.

Vt autem intelligamus, quot & quæ sint species

## Liber primus.

Species ascensus & descensus, scire oportet, cōiunctionem, & duobus modis accipi à Sophistis: copulatiue, cum coniungit diuersas propositiones, & copulatum, cum diuersos terminos. Similiter coniunctio vel, bifariam sumitur, disiunctiuē, cum disiūgit propositiones & disiunctim, cum terminos. Quadruplex igitur est descensus, atque etiam ascensus: quia quot modis dicitur unum oppositorū, tot modis dicitur alterum: ascensus verò & descensus opponuntur. Alius est descensus copulatiuus alius copulatus, aliudis iūctiuus, aliud disiunctus. Copulatiuus est, cum ex vniuersali colligimus particularia copulatiue, ut omnis homo currit, ergo hic homo currit, & in cæteris simili modo. Contrario modo definitur ascensus copulatiuus. Fit autem ascensus vel descensus copulatiuus solum sub termino supponente distributiuē. Descensus disiunctiuus est, cum ex communi singularia colligimus disiunctiuē, ut cum itadicimus, Homo currit ergo vel hic homo currit, vel hic homo currit & in cæteris simili modo. Ascensus disiunctiuus cōtrario modo efficitur. Fit autē ascensus, vel descensus disiunctiuus tātū sub termino supponente determinate, ut cōstat superiori exēplo. Descensus copulatus est, cum argumenta-

mur

mur à superiori, ad inferiora copulatim, ut ônes Apostoli Dei sunt duodecim, ergo isti & isti (donec duodecim committentes binos, aut ternos, aut quaternos) sunt duodecim. Vice versa definitur ascensus copulatus. Fit hic ascensus, vel descensus solū sub termino supponente copulatim. Descensus disiunctus est, cū argumentamur à superiori ad inferiora disiū. Etiam accepta, vt cum dicimus, ônis homo est animal ergo omnis homo est istud animal, vel istud, vel istud. Ascensus contrario modo finitur. Fit hic ascensus, vel descensus solum sub termino supponente confuse, Huiusmodi tamen ascensus & descensus nullus prorsus est, nemo enī co*vt*etur vñquam, nisi qui communi sensu plane caret.

Animaduertendum tamen est, quod vt ascensus vel descensus vim habeant, & recte colligant, cauere oportet ne prius ascendamus sub termino sub quo posterius est ascendendū vel descendendum. Quare considerare oportet, quod si in aliqua propositiōe sit terminus supponēs determinate prius debemus ascendere, vel descendere sub illo, quam sub alio. deinde sub termino supponente distributiue, postremò sub termino supponente confuse: si id non obseruemus, ascensus vel descen-

Liber primus.

sus vitiosus est. Atque ideo iste ascensus inanis est, aliquis homo est istud animal, & aliquis homo est istud animal, & in cæteris simili modo, ergo aliquis homo est omne animal. Quia ascendo prius sub illo termino animal, qui supponit distributive, quā sub illo termino homo, qui supponit determinate. datur antecedēs verum & consequens falsum, si in natura rerum tantum existant homines. Cauabitur vitium si prius sub illo nomine homo ascendamus, quam sub nomine animal, isto pacto: iste homo est omne animal: & in cæteris simili modo, ergo aliquis homo est omne animal & antecedens & consequens est falsum.

Secundò cum descendimus, debemus diligenter obseruare, ut terminus qui in antecedenti supponebat confusa, eodem pacto supponat in consequenti: alioqui vitiosus ascensus est, & argumentamur à confusa ad determinatam, ut cum ita dicimus, Cuiuslibet hominis oculus non est oculus, ergo istius hominis oculus non est oculus, & in cæteris simili modo. Nomen enim oculus priori loco positum confusa supponit in antecedenti, in consequenti vero determinatè & antecedens opinione Sophistarum verum est, consequens vero planè falsum. Quia verò ascensus & descensus, ut dixi, cōspectant ut probemus aut improbemus

pro

propositiones, considerandū est, quod si ascē-  
su desinētiuo propositionem aliquam par-  
ticularem probare velimus, vt sit illa vera sa-  
tis est vnam singularem propositionem esse  
veram: quia particularis propositio est vera,  
cuius vna pars est vera, vt aliquis homo est  
philosophus. Vt autē descensu disiūctiuo fal-  
sām probemus esse propositionem, necessa-  
riū est vt omnia singularia sint falsa, quia par-  
ticularis aut indefinita propositio falsa est cū  
quævis parsest falsa, vt aliquis homo est equus

At verò si ascensu copulatiuo velimus pro-  
bare aliquam propositionem vniuersalem ve-  
rā esse, necesse est vt quævis pars vera sit, quia  
vniuersalis propositio vera est, cuius quævis  
pars est vera, vt omnis homo est animal.

Postremo si descensu copulatiuo velimus pro-  
bare aliquam propositionem vniuersalem fal-  
sam esse, satis est vt sit vna tantum eius pars  
falsa quia vniuersalis propositio est vera cu-  
ius quævis pars est vera: vt omnis homo est a-  
nimal.

Postremo si descensu copulatiuo velimus pro-  
bare aliquam propositionem vniuersalem  
falsam esse, satis est vt sit vna tantum eius pars  
falsa, quia vniuersalis propositio est falsa cu-

E ius

Liber primus.

ius aliqua pars falsa est. Ut omnis homo est philosophus. Hæc de ascensu & descensu dixisse sit satis.

*¶ De relatiis.*

CAP. III.

**D**E relatiis non est cur multa dicamus, eo  
rum enim consideratio ad Grāmaticos  
pertinet: solūm autem oportet indicare, qua  
in re eorum suppositio à ceterorum nominū  
suppositione sit diuersa: quod ut aperiamus,  
sciendum est, quòd tametsi reuelatiuum  
de pē  
dentem significationem habeat ab antecedē  
ti ( significat enim rem quæ per antecedēs sig  
nificantur, vt cū dicimus, Petrus currit: & ille  
mouetur ) non pendet relatiui suppositio ab  
antecedentis suppositione: siquidem fieri po  
test, vt supponat relatiuum, vbi antecedens  
non supponit, verbi gratia, Adam est, & ille  
fuit: & præterea supponit antecedens quādo  
non supponit relatiuum, verbi gratia, Adam  
fuit, & ille est.

Relatiuum igitur quocunque illud sit mo  
do reciprocum non sit, supponit secundum ra  
tionem signi quod suscipit, more ceterorum  
terminorum, distributiue quidem cum pro  
ximè

ximè afficitur signo vniuersali affirmatiuo, aut negatiuo mediate vel immediate vt homo currit, & omnis ille mouetur. determinate, cū nullo signo, aut particulari afficitur, vt homo currit, & ille mouetur. confuse, cum immediate suscipit signum vniuersale affirmatiuū vt homo currit, et omnis leo est ille.

Relatiuum vero reciprocum sui, & suus, præterea ipfem est, supponit eadem specie suppositionis, qua supponit eius antecedens, determinate quidem vt homo est ipfem, homo videt se, distributue, omnis homo videt se, aut est ipfem.

Relatiuorum vero reciprocorum illud est proprium, vt cum descendimus sub antecedēti, descendamus sub relatio, & hæc causa est, currelatiui reciproci suppositio vulgo vocatur sigillata.

Quanvis autem supponat reciprocum relationi eadem specie suppositionis, qua supponit eius antecedens quo tempore antecedēs distribuitur, non licet loco relationi collocare antecedens distributum, verbi gratia, cum dico omnis homo est ipfem, non possum dicere, omnis homo est omnis homo. At vero pro relatio uti possumus antecedenti non distributo, & p eo quod est, omnis homo est ipfem

Liber primus,  
dicere, *ōnis homo est homo.* Hęc de relatiuis.

*¶ De ampliatione. C A P. IIII.*

**P**ræter affectiones aut proprietates quarū cap. i. mētionem fecimus, quā terminis cōueniunt in oratione, sunt etiā alia corūdem terminorum affectiones, quarum sāpenumero Sophistē meminerunt. **Sunt illa tres ampliatio, restrictio, status.**

Stare dicitur terminus, cū neq; dilatatur, neq; constringitur, quod termino inest, dum est in p̄positione, cuius copula est pr̄sentis temporis, vt homo est animal.

Restringitur, cum ratione copulæ, aut cuiuspiam alterius nominis, pro paucioribus supponit, quām alias supponere consuevit. Vt cū dico, homo est, & fuit. Nōmē homo restringitur, quia si nō copularetur vtrumque tempus homo pro pluribus hominibus supponeret, quām reuera supponit. Vel cū dico, aliquis homo currit: & homo ratione signi accipitur tantum pro masculis. Ampliatur, cum supponit in propositione mediante verbo significāte plures temporis differentias sub disiunctiōne. Vt homo in hac propositione homo est, vel fuit: est vel erit: potest esse.

Am

Ampliandi verò præcepta hæc sunt: primū copula de presenti coniuncta copulæ de præterito ampliat terminū ad illud quod est, vel fuit: *Vt cum dico, homo est, vel fuit animal.* Secundum, copula de præsentī cōiuncta copulæ defuturo ampliat terminum ad illud quod est, vel erit. *Vt cum dico, Antichristus est, vel erit animal.*

Tertium, potest. & verbalia, in bīle, quia potentiam dicunt, ampliat ad quatuor tēporis differentias, Verbi gratia, homo potest currere, homo est generabilis.

Usus verò qui ex ampliatione à nobis capi potest, quatuor potissimum præceptis explicatur. Primum est, à non amplio ad amplū affirmatiū valet consequentia: ut homo currit ergo cucurrit, vel curret, vel potest, currere.

Secundum à non amplio ad amplum negatiū non valet consequentia: non enim consequitur, non currit, ergo non cucurrit, vel nō curret, vel non potest currere.

Tertium, ab amplio ad non amplum negate bona est consequentia. Consequitur enim, nō potest currere, ergo non cucurrit, neq; curret, neque cucurrit. Quartū, ab amplio ad non amplū affirmatū non valet cōsequētia. Nō enim

Liber primus.

consequitur, potest currere, ergo currit vel curreret.

Verum ut precepta vera sint, necessariū est in antecedēti, & consequenti, eosdem esse terminos: nā si illi mutetur, argu mētādi ratio vitiōsa est: ut cū dico, homo currit, ergo omnis homo potest currere. Potest enim dari antecedens verū, & cōsequens falsum, solū quōd signū subiecto adiectū sit. Deinde intelligere ne cessariū est qđ in verbis explicuimus, simplicibus etiā nominibus posse accōmodari, quæ hac parte magnā cum verbis habent affinitatē: nā ab inferiori ad superiorius valet cōsequētia affirmatē (Species enim cōstruit genus) ut est homo, ergo est animal: at nō valet negatē, quia species nō destruit genus: nō enim rectē colligas, nō est homo, ergo nō est animal. A superiori ad inferiorius valet cōsequētia negatē, genus enim destruit speciē, ut nō est animal, ergo nō est homo: at vero à superiori ad inferiorius affirmatē cōsequētia nō valet, quia genus nō construit speciē. Non enim rectē colligas est animal, ergo est homo.

Hinc sequitur falsum esse quōd vulgo Sophistæ ferūt, verba significatiā actū animi interū ampliare antecedentes & consequētes termi

terminos ad quinque differentias temporis, alioqui enim legitima est illa argumentandi ratio . Est , ergo cognoscitur , non cognoscitur , ergo non est . Sunt enim præcepta commemorata firma atque perpetua . atqui ista arguendi forma , vt plane constat parum efficax est . Sed de ea re plura diximus in ter tia parte animaduersiorum terminos . Hæc de ampliatione sint satis , nunc de restrictio ne pauca dicamus .

Restringendi forma triplex est , prima est , Inferius additum superiori restringit super ius , Vt cum dico , animal homo , usurpatur enim animal tantum pro homine . Secunda , adie ctuum adiunctum substatiuo restringit vim substantiui , vt cū dicimus , homo albus . Prius enim homo pro quo quis homine , nunc pro albo duntaxat usurpatur .

Tertia , obliquus casus additus recto restrin git rectum , vt cum ita loquimur , Leo hominis Leo nunc non pro quo quis Leone accipitur sed pro eo tantum qui ab homine possidetur . Il lud tamen silentio prætereundum non est , quod cū rectus præcedit obliquum , dicitur determinatio , aut acceptio vnica , quia uter que terminus pro uno reputatur , & utriusque unus ascensus atq; etiam descensus unus debetur

Liber primus.

quando vero antecedit obliquus, sequitur reetus, vocatur determinatio aut acceptio non vniuersaliter, quia duplex ille terminus, non unus putatur, & utriusque debetur proprius ascensus, atque descensus. Duorum autem terminorum is, qui restringit, determinabile appellatur, qui vero restringit, determinatio. Exempla aperta sunt.

Præter ampliationem restrictionem, atque statum Sophistæ tres alios terminos excogitauerunt tribus terminorum proprietatibus explicandis accommodatos, sunt ille, alienatio remotio, diminutio.

Alienatio est translatio termini à propria significatione ad improprium. Nam cum dico, homo pictus, nomen homo alienatur, quia à propria significatione, qua usurpari solet pro hominibus viuentibus, ad impropria trahuntur, qua significat homines pictos. Remotio est detractio integræ suppositionis termini, ut cum dico homo irrationalis. Homo enim, antequam adderetur particula, irrationalis, supponebat pro homine ea adiecta amplius pro homine supponere non potest.

Diminutio est detractio partis suppositionis, ut cum dico album secundum dentes, detrahitur enim albo pars suppositionis, & eius gratia

gratia pro xethiōpe supponit pro quo nō supponeret, nisi particula illa adderetur: & quidem consequentia non valet à dicto secundū quid ad dictum simpliciter, quādo diniuit quod addiicitur: non enim sequitur, est albus secundum dentes, ergo est albus: valet, quando adiectio non diminuit ut est homo albus, ergo est homo. Hæc de ampliatione sint atis.

*De appellatione.**CAP. V.*

PRæter ea quæ hætenuſ à nobis relata atque etiam explicata sunt, Dialectici appellationem inueniunt: vt explanarent quo pacto adiectiva cum adiectiis, aut etiā cum substantiis nominibus cohæreant: ſæpe numero enim adiectiuū multa significat, vt magnus, corporis atque animi magnitudinem: bonus, morum bonitatem atque etiā peritiā, qua significatione bonus & magnus philofophus dicitur. Ut ergo intelligamus quando adiectiuū, aut denominatiuum nomen tribuitur alteri vna ratione, & quando altera appellatio excogitata est: quæ iſto pacto difiniri potest. Appellatio est applicatio aut a-

Liber primus.

cōmodatio significati viiius termini connotaui, aut denominatiui ad significatū alterius.  
Vt cum dico Socrates est magnus Philosopher, aut Socrates philosophus est magnus.

Hæc duplex est, vna realis, vt aiunt, altera rationis. Appellatio realis est applicatio accidentis realis, vt adhibitis exemplis constat: rationis verò, est applicatio accidentis rationis: hoc est eius accidentis, quod sola constat intellectus operatione: vt homo est species: animal est genus.

Quatuor vero sunt precepta quibus vniuersa appellatio explicatur. Duo quidē seruit explicandæ appellationi reali, duo alia explicandæ appellationi rationis. Primum præceptum appellationis realis est. Si ex parte prædicati sit nomen denominatiuum, aut cōnatuum, pro subiecto verò sit nomen substatiuum cum adiectiuo, prædicatum appellat supra substantiuum, non supra adiectiuum: vt cum ita loquimur Petrus magnus est, Logicus, non significamus Petrum esse peritissimum Logicæ, sed quod sit magnus corpore. Secundum præceptum. Si pro prædicato ponantur duo nomina cōnatativa, aut denominativa, pro subiecto substatiuum, adiectiuum appellat suum significativum supra alterū adiectiuū:

Vt

Vt cum dico, Socrates est magnus Logicus. Significo enim Socratē esse Logicæ admodū peritū. Tertiū præcepto, si pro predicato po natur nomen secundæ impositionis pro subiecto nomen primæ nomen secundæ appellat præcipuum subiecti, non minus præcipuum significatum: vt cum dico, homo est species, si - significo qđ ipsa naturahumana est species nō singuli homines. Quartum, verbum signifi cans internum mentis actum appellat actioni- nes supra sequentes terminos, non antecedē tes, Vt cum dico video Papā, intelligo enim qua Papa est cognosco patrem, qua pater est. Patrem video, non qua pater est, vnde non se quitur, Socrates est magnus Logicus, ergo & est magnus, & est Logicus. Peccat argumen tum fallacia compositionis & diuisionis.

Neque sequitur, video Papam, er go Papam video, varia tur enim appella tio, vt vulgo dicitur.

Finis libri primi,

## AD LECTOREM.



Etrus Hispanus, vir non omni-  
no literarum ignarus, cum in-  
telligeret difficile admodum  
dialecticam Arist. à peuris per-  
cipi posse propter rerum varietatem & ob-  
scuritatem verborum necnon magnitudi-  
nem sententiarum, summā quandam cōfe-  
cit, in qua breui sermone cōplexus est, quae  
Arist. in libris dī dialectica editis scripserat,  
quam quòd exigua admodū esset non sum-  
mam, sed summulam dialecticæ vocauit,  
quasi dixeris exiguum summam. illam in  
multas partes diuisit, ut sunt multi libri,  
quos Arist. de dialectica composuit: harū  
partium, Sophistæ bonarū literarum egrave-  
gij perturbatores non nullas arripuerunt:  
eas videlicet, in quibus liberius possent  
euomere ineptias suas (ita enim lubet appe-  
pellare

pellare effrænem copiam rationum atque  
argumentorum futilem, quibus chartas  
explauerunt) illæ potissimum sunt quinque,  
quas his nominibus appellauerunt, termi-  
nos. Primum tractatum, Exponibilia, In-  
solubilia, atque Obligationes. Quæ omnia  
primum omnium discipulos, atque auditio-  
res suos docent. In terminis explicant voces  
quasdam partim à se excoxitatas, partim  
velut personum acceptas ab optimis au-  
toribus. In primo tractatu persequuntur  
oppositiones enuntiationum, in qua re ex-  
plicanda vehementer intendunt ingenij vi-  
res. In exponilibus student explanare enun-  
tiationes quasdā obscuras, ut ijs videtur,  
quod constent signo aliquo, quod reddit  
enuntiationes illas intellectu, cognitu  
difficiles. In insolubilibus rationem inire,  
atque docere conantur explicandi quoddā  
aliud

Prefatio.

alius genus difficultum atque impeditarū enunciationum. Demum in obligationibus quasdam leges, perturbatas tamen & sine delectu vlo tradunt, quibus qui respondeat seruire debet, si velit secundum artis dialect. præcepta disputare. Hæc insania quorundam hominum culpa tā longè, late que processit, ut nihil aliud publice docere tur in Scholis ducentis proximis annis. Diuino tamen numine, diligentia etiam bonorum atque sapientium virorum, nostris his felicissimis (sicum retro actis conferantur) temporibus fœdæ ille atque auspiciatæ literæ, suco deprehensio contemni coeperunt, melioresque scriptores euolui et tractari tam diligenter, ut in Germania Gallia, Flandria, Italia, ne exigua quidem reliqua sit summularum, imo vero totius Barbariei memoria. Sola Hispanianæias ample-

amplectitur, Enzinas, Naueros, dulardos  
in præcio habet. In primis vero Salmantica  
et Complutum, nam Coimbrica et Valen-  
tia hac parte cæteras nationes, quas dixi,  
sequuta est. Quanquam autem Salmanti-  
ca et Complutum summulas publice istas  
doceat aut verius literarū laruas, atque  
portet a vtrobique profecto multisunt, atq[ue]  
illi oës ingenio et literis clarissimi (quos si  
res posceret, recensere possem) qui grauiter  
dolent, nullo loco bonas haberi literas, et  
sublimi malas et pernicioseas. Quod illi nō  
in sermone tantū familiari testantur, sed  
cum lachrymis interdum in Gymnasijis, et  
pro concione. Hi, partim quod grauioribus  
occupationib. sint impediti, partim quod de-  
uorare non facile possint profitendi istas di-  
sciplinas molestiā, tamet si cupiat maxime  
succurrere labētibus studijs, aut potius col-  
lapsis

Præfatio.

lapsis non possunt. Cæterum quod possunt,  
efficiunt, hortantur enim iuuenes ad labo-  
rem ferendum idoneos, atque etiam gloriae  
cupidos ad expurgandas istas artes, & su-  
currendum communibus studijs. Horum  
ego tantorum virorum votum, petitionē-  
que honestissimam arbitratus, accepta libe-  
ralium artium cathedra, apud me statui,  
quantum in me esset, eorundem voluntati  
morem gerere. Et quidem si per amplissi-  
mam Academiam mihi licuisset, ex Gym-  
nasio, Summulis (quas vocant) prorsus re-  
legatis, atque Isgoge perlecta, statim ad  
Aristotelem principem philosophiae curam  
omnem meam, atque studium transtulis-  
sem, eundemque auditoribus meis quam  
possem, diligenter interpretarer. Verum  
cum intelligerem longe aliam esse senten-  
tiam amplissimi, sapientissimique nostri

Gymna-

Gymnasij, mutata mēte priori, vagari cœ-  
pi per amœnos scilicet campos terminorum  
& summularum, in quibus cum multa re-  
perirem falsa multa extranea, difficultia ad  
modum multa, præsertim pro captu rudit  
iuuentutis. postremo ferme omnia insrugi-  
fera, atq; ad ea intelligenda, quæ Aristote-  
les scribit in libro de Dialectica & philoso-  
phia parum accommodata, confessis prius  
animaduersionibus in libro summularum  
decreui, quando omnino auferre de medio  
non poteram (quod ego vehementer opta-  
bam) tot ingemorum cruce, plerisque de-  
tractis in compendium redigere, quæ vbe-  
riori sermone in lib. summularum tradun-  
tur, ut si per tempus non liceret restituere.  
Diale. auditoribus summulas, summa sal-  
tem summularum illis conficerem. Publice  
igitur per lecto laco. Naueri libello, compen-

F dium

Praefatio.

dium terminorum confeci. Eare peracta,  
eo animū appuli, vt reliquæ etiam partis  
summularum compendium facerem, vt, si  
non omnino, magna saltē parte laboris pro  
fessores istarum literarum, atque etiam au  
ditores liberarem.

## CAP. I.

**C O N T I N E T P R O  
P O S I T U M N O S T R U M**  
in hoc libro.



N hac secunda parte summularū quæ primus tractatus vulgo dicitur, de tribus rebus potissimum disputari solet, atq; etiam à me disputabitur, sunt illæ. Opus positio, æquipollentia, conuersio. Primo verò loco de oppositione differit: quæ quoniā in categoricis & hypotheticis propositionibus reperitur, de oppositione propositionum utriusque generis disputatur. Et quoniā categorica oppositio diuersa est in enuntiationibus modalibus ab ea quæ est in enuntiationibus quæ vacat modo, de vtraque parte categoricæ oppositionis agitur. Sed primum omniū de oppositione in commune agemus, deinde de singulis partibus oppositionis, Hæc ut efficiamus commodius, proponendæ statim sunt quædam diuisiones propositionum.

F 2 CAP.

Continet quasdam diuisiones pro  
positionum necessarias ad op-  
positionem faciendam.

Prima diuisio.

Ropositiones sunt in triplici differentia,  
quædam participant utroque extremo,  
quædam altero tantum, aliæ neutro. Parti-  
cipant utroque extremo illæ quæ eisdem ter-  
minis efficiuntur: ut homo currit, homo non  
currit, homo est animal, animal est homo.  
Participant altero illæ, quæ non habent utrū  
que terminum, sed alterum duntaxat, modo  
subiectum, modo prædicatum, ut homo est a-  
nimal, homo disputat, homo est animal, c-  
quis est animal.

Secunda diuisio.

Ropositionum participatiū utroque ex-  
tremo quædam participant utroque extre-  
mo

mo eodem ordine, quædam ordine diuerso.  
Eodem ordine participant utroque extremo,  
illæ propositiones, quæ habent idem subiectum  
& idem prædicatum: ut homo est animal, ho-  
mo non est animal. Ordine conuerso quæ ita  
se habent, ut subiectum vnius sit alterius præ-  
dicatum: ut homo est animal, animal est homo.

### Tertia diuisio.

Propositionum participantium utroque  
extremo secundum eundem ordinem, aliæ  
sunt contradictoriæ, aliæ contrariæ, aliæ  
subcontrariæ, aliæ subalterne. Contradictoriæ  
sunt duæ propositiones, quarum una est vni-  
uersalis, altera particularis, una affirmans, al-  
tera negans, ut omnis homo est animal, ali-  
quis homo non est animal: nullus homo est  
animal, aliquis homo est animal. Hoc autem  
verum est quando subiectum est commune,  
quia si sit singulare in una, in altera oportet  
etiam ut sit singulare: ut Socrates currit: So-  
crates non currit: & quæ sunt singulares pro-  
positiones solum opponuntur contradictoriæ  
contrariæ sunt duæ propositiones vniuersales,  
quarum una affirmat, altera neget: ut nullus

homo est animal, omnis homo est animal. sub contrariæ sunt propositiones particulares, vel indefinitæ quarum altera ait, altera negat ut aliquis homo currit, aliquis homo non currit, homo currit, homo non currit. Subalternæ sunt duæ propositiones affirmantes, aut negatæ, quarum altera est vniuersalis, altera particularis, ut omnis homo currit aliquis homo currit: nullus homo currit: aliquis homo non currit. Dicuntur autem subalternæ quia una sub altera ponitur, nēpe' particularis sub vniuersali: quemadmodum subcontrariæ vocantur particulares propositiones quia ponuntur sub propositionibus contrarijs: nam ista propositio homo currit, sub ista collocatur, omnis homo currit: & hæc homo non currit, sub illa, nullus homo currit.

Est autem illud considerandum, quanuis speciem commemoratarum propositionum participare debere utroque extremo secundum eundem ordinem: est enim illud omnium commune.

CAP. III.

*De oppositione in communi.*

Ex

**E**X tertia diuisione propositionum colliguntur species oppositionis , de qua est nobis in presentia differendum, vt generē cognito facilius singulas formas atque species oppositionis cognoscamus,

Oppositio igitur ( vt ex Aristotelis licet colligere lib.de interpretatione.lib.1 . de posteriori resolutione,&c.1.lib.Elenchorum )est affirmatio & negatio eiusdem de eodē: Sophistē addiderunt , repugnantes veritate tātum, aut falsitate tantum , aut veritate & falsitate simul. Ex hac diffinitione oppositionis colligur, tria esse necessaria , vt duæ propositiones opponantur. Primum est, vt altera affirmet, altera neget:nam si vtraque affirmet aut neget vtraque, non opponentur. Id vero intelligendum est , non de quauis copula quæ existit in propositione , sed duntaxat de copula præcipua:nam copula minus præcipua, quā Sophistē vocant implicationis, mutari nō debet, sed manere eodem pacto in vtraq; propositione. Contradictorium enim huius Socrates qui legit, docet:non est illud , Socrates qui non legit, non docet:sed , illud : Socrates qui legit, non docet. Similiter contradictoriū huius, qui non legit, docet illud est, qui non legit, non docet. Ratio est, quia cum implicatur

Liber secundus.

copula efficitur pars extremi , quare debet manere eadem ratione in vtraque propositione: quia si mutaretur, propositiones non participarent utroque extremo,

Requiritur secundò ut sit vtraque proposi-  
tio eiusdem de codem: id est habeat idem sub-  
iectum & idem prædicatum re, & nomine , q  
vniuocum appellant: quia alioqui non oppo-  
nentur illę propositiones , quare hę non sunt  
oppositę, canis currit, canis non currit: quia ta-  
metsi idem habeant subiectum nomine , est  
illud quidem diuersum re, hoc est , equiuocum.  
Similiter istę, ego sum Petrus, ego non  
sum Petrus, quę proferantur à duobus, oppo-  
site non sunt : quia subiectum, ego, diuersum  
est in vtraque propositione , atq; equiuocū.

Si querat aliquis, vtrum impedit oppositionem propositionum non habere idem sub-  
iectum nomine , cum habeant idem subiectū  
re, mihi ita videtur, propositiones illas quę ha-  
bent idem subiectum re, diuersum tamen no-  
mine, vt ensis est acutus, gladius non est acu-  
tus, oppositas esse de lege, licet non sint oppo-  
site de modo enuntiandi sed de ea re dicemus  
paulo inferius.

Requiritur tertio, quod repugnat veri-  
tate tantum, vt contrarię , quę simul verę es-  
se

se non possunt, aut falsitate tantum, ut subcontrarie, que non possunt esse falsæ; aut veritate simul & falsitate, ut contradictione. Ex quo infertur quod propositiones subalternæ non sunt oppositæ, atque id dupli nominis, tum quia una non est affirmatio, altera negatio, sed utraque asserit, aut negat: tum etiam quia neque veritate, neque fallitate pugnat, nihil enim prohibet duas istas propositiones subalternas, omnis homo est philosophus, aliquis homo est philosophus, si in illo esse veras: simul etiam falsas: atque etiam particularem veram, & uniuersalem falsam esse.

Obijciet fortasse quispiam si propositiones subalternæ oppositæ non sunt, cur Petrus Hispanus illas cōnumerat inter reliquas propositiones oppositas? & cur oppositas diuidit etiam in subalternas? verum hęc obiectio facili dilui potest, siquidem Petrus Hispanus isto loco non diuisit oppositas propositiones in istas quatuor partes, sed solum propositiones que participant utroque extremo secundum eundem ordinem: neque refert subalternas inter oppositas, quod sint oppositæ, sed quod participent more ceterorum oppositorū utroque extremo ordine eodem.

His tribus adiiciunt etiam quartum sophi-

F 5 flę

Liber secundus.

Ita, illud est, quod ut propositiones sint oppositæ debent termini in utraque eodem pacto supponere, ampliari, restringi, appellare, quia si horum quidpiam desit, oppositæ propositiones non erunt. Quare istæ propositiones homo est species, nullus homo est species, non sunt oppositæ: quia terminus, homo non supponit in utraque eodem modo, sed diuerso. Nam in affirmativa supponit nomen homo suppositione immobili, quia non licet sub illo termino facere ascensum, aut descensum: in negativa vero mobili: quia licet sub eo ascendere & descendere.

Similiter istæ non opponuntur Socrates legebat, Socrates non legit, quia in affirmante nomen Socrates, auctoribus Sophistis, supponit pto Socrate qui est, vel fuit: in negâte pro Socrate tantum qui existit. Alio etiam titulo illæ duæ propositiones non opponuntur, illo videlicet, quod non sint eiusdem copulæ, vel eiusdem temporis, quod est necessarium, ut propositiones opponantur.

Tertiò, istæ nō opponuntur, aliquis homo differit omnino hō non differit: si in priori homo accipiatur pro viris tantū, in negativa vero pro viris, & fœminis. Scimus enim nomen homo duplicis esse generis masculini in quā

& fœ

& fœminini, ratio cur illæ nō opponuntur, ea est, quia in altera restringitur nomen homo, in altera minime.

Quarto, istæ non opponuntur. Socrates videt Papam, Socrates Papam non vidit: quia in priori quæ affirmat, verbum, vidit, appellat actionem supra Papam, ut Papa est, atque ita eius sensus est, Socrates videt Papā ut Papam, in negante verbum, vidit, non appellat actionem suam supra Papam, ut Papa est, atque ita sensus eius est, Socrates hominem videt, qui reuera Papa erat, atqui non agnouit illum esse Papam. Quare in vtraque non seruatur eadem appellatio.

Postremò debet seruari idē modus in vtra que qui possit variare veritatem aut falsitatē propositionis. Quare istæ non opponuntur, Socrates tarde currit, Socrates velociter non currit, quia modus, tarde, mutatur.

Verum ista omnia quæ ex sententia sophistarum retulimus, comprehenduntur illa particula, eiusdem de eodem. Vbicunque enim nomine equiuocum est subiectum vel praedictum, non est sane idem terminus, re scilicet, & nomine, rursus ubi copula implicata mutatur: præterea quādo non seruatur eadē suppositio ampliatio restrictio, appellatio, modus.

Sin

Liber secundus.

Singula enim hæc diuersum constituunt subiectum, atque prædicatum, & integrum propositionē. Quare si recte intelligatur finitio oppositionis, superuacaneum fuerit ista adiace-re. Quòd spēctas Aristoteles cap. 4. lib. Perihermenias, proposita diffinitione contradictionis, adiecit & quæcunque diximus ad vietandas molestias sophistarum. Si enim idem de eodem prædicatur vniuoce, affirmatio & negatio oppositæ erunt.

CAP. IIII.

**G**Qua rationes singulæ species oppositio-nis sint constituendæ.

A Etenuis diximus in commune quid esset H necessarium, ut propositiones opponerentur: nūc tēpus est, ut doceamus, quid nam sit necessarium, ut propositiones contradic托riæ, contrariæ, aut subcontrariæ sint. Incipendum est autem ab oppositione contradic托ria, de quo constituimus hoc primum præcep-tum, Ut sint propositiones contradic托riæ ca-uēdum est, ne idem terminus maneat in vtra que propositione distributus, aut in distribu-tus: sed qui in vna distribuitur: non debet di-stribui in altera: ut planè cōstat in his, omnis homo

**homo currit, aliquis homo non currit.** Nām si maneat idē terminus distributus in vtraque non opponentur contradictoriē: verbi gratia **omnis homo currit, nullus homo currit:** neque si maneat indistributus, vt in istis, **homo currit homo non currit,**

**Secūdum præceptum, vt propositiones contradicāt, terminus qui in via distribuitur respectu confusi, debet in altera supponere determinatē: vt homo', cum dico, omnis homo est animal, homo non est animal.** Verum si distribuatur terminus respectu determinati, in cōtradictorio debet supponere cōfusū, vt homo, in his caput quiuis homo habet, quod uis caput homo non habet. Hoc autem intel ligendum est, quando primus terminus non afficitur negatione: vt cū ita constituo cōtradictionem, nullum caput quiuis homo habet. Negatio enim omnia negat.

**Tertium præceptum.** **Vt propositiones contrariæ sunt, non debet idem terminus manere in vtraq; indistributus: atq; ideo iste, cōtrariæ sunt, **omnis homo currit, nullus homo currit.** Si enim idem terminus indistributus maneat propositiones contrariæ non sunt, vt homo currit, homo non currit,**

**Quanuis autem impedimento sit, ne propo sitio-**

Liber secundus.

sitiones sint cōtrariæ, cundem terminū in vtraque propositione manere indistributū, necessarium nō est, ut omnes termini in vtraque distribuātur: vt in his plane cōstat, omnis homo currit, nullus homo currit.

Quartum præceptum. Ut sint propositiones subcontrariæ, non debet idem terminus manere in vtraque distributus. Quare istæ subcōtrariæ sunt, homo currit, hō non currit: si enim idē terminus in vtraque distribuatur, propositiones subcontrariæ nō erunt. u.g. omnis homo currit nullus homo currit.

Vltimum præceptum, ut propositiones subalternæ sint, in particulari propositione non debet aliquis terminus distribui qui nō sit etiam distributus in vniuersali: nam si id contingat, propositiones subalternæ non erunt. Istæ enim propositiones, omnis homo est animal, aliquis homo est omne animal, subalternæ non sunt. ratio est duplex, vna quia si in particulari propositione terminus distribuatur, qui non sit in vniuersali distributus, ratio ne illius termini particularis propositione subalternans redditur. Altera est quia eius rei gratia vniuersalis erit vera, & particularis falsa, quod pugnat cum lege subalternarum, & præterea à subalternante, hoc est vniuersali, ad

sub

subalternatam, id est particularem, non vallebit consequentia, quod maximam absurdum est.

Veruntamen ut haec præcepta, que de singularis partibus oppositionis à me tradita sunt plenius constare possint, pauca quedam considerare oportet. Primum est, quod categorema duplex est, unum universale, alterum particulare. Categorema universale est terminus communis distributus, ut homo cum dico, omnis homo, nullus homo. Particulare est terminus communis indistributus, ut homo.

Syncategorias etiam est duplex universale, & particulare. Universale est signum universale; ut omnis, nullus, coniunctio, &c. atque inter modos duo illi impossibile, & necesse. Particulare, aliquis, aliquis non, coniunctio, vel: duo illi modi possibile, contingens. Cum ergo dicimus non debere manere idem universale, neque idem particulare in contrariis tantum intelligitur nostra sententia de universali & particulari categoriis, quam syncategoriae remate: utrumuis enim pari ratione dissoluit oppositionem.

Rursum animaduerte, quod terminus qui supponit suppositione immobili, neque est universalis, neque particularis: atque ideo non debet mutari, sed manere idem in utraque propositione.

vt

vt nomen homo, cum dico, homo est species  
homo non est species. cēsetur enim hoc loco  
nōmen homo singulare, quia cum supponat  
immobili suppositione, non licet sub eo face-  
re ascensum, neque descensum.

Præterea nomen commune cum signo di-  
stributio quando efficitur pars extēmi, nō  
cēsetur vniuersale vniuersaliter acceptū, quia  
sub eo non licet facere ascensum, neque descē-  
sum, atque ideo debet eodem pacto manere  
in utraque propositione cōtradictoria, vt cū  
dico, quod est omnis homo non currit.

Signa autem in completa partim sunt uni-  
uersalia, partim particularia, vt omne, neuter  
vterque. Ista enim propositione omne animal  
fuit in arca Noë; hunc sensum facit, de qual-  
uis specie animalis aliquid animal fuit in ar-  
ca Noë, ubi species distribuuntur, individua  
particulari suppositione supponunt. Vterque  
homo currit, id est aliquorū duorum quiuis,  
Neuter, aliquorum duorum nullus. Quare in  
constituenda oppositione contradictoria, di-  
ligenter curandum nobis est, vt particulare  
in vniuersale, & vniuersale in particulare mu-  
teatur.

Postremo sciendum est, quod duo sunt ge-  
nera propositionum oppositarum, vt obiter  
attigi

attigimus paulo superius, quædam opponuntur de lege, aliae de modo enunciandi, Contradicториæ de legе sunt quæ seruant legem contradictionarum, hoc est non possunt simul vere esse aut falsæ. Contrariæ de lege, quæ seruant legem contradictionarum, hoc est vera simul esse neque possunt esse falsæ, etiā si altera non sit vniuersalis, particularis altera: aut utraque vniuersalis: aut utraque particularis. De modo enunciandi contradictionariæ sunt (atque idem est, iudicium de contrarijs, & subcontrarijs) quæ præterquam quod seruant legem contradictionarum, altera est vniuersalis, altera particularis. Hęc distinctione, oppositarum propositionum cōspectat, ut intelliganeris, quod tamē si propositiones, in quibus idem terminus manet distributus, aut indistributus in utraque propositione contradictione non sint, cum non seruent legem contradictionarum (possunt enim dari simul veræ aut simul falsæ) aliquo alio genere oppositionis opponuntur. Nā si manet idem terminus in utraque distributus, efficiuntur propositiones illæ contradictione de lege, quia seruant legem propositionum contrariarū: cum possint dari simul falsæ, non possint esse simul veræ: ut omnis homo est omne animal: ali-

G quis

quis homo non est animal.

Si verò maneat idem terminus in vtraque indistributus efficiuntur subcontrariæ de lege, ratione illius termini: quia possunt dari simul verè, non possunt esse simul falsæ; ut omnis homo est animal, homo animal, non est. Non sunt tamen illæ contrariæ neque sub contrariæ de modo emunciandi, quia neque vtraque vniuersalis est, neque particula: is vtraque, sed vna est vniuersalis, altera particula: ris.

Si querat alius quam ob causam, quando in vtraque propositione manet idem terminus distributus, duæ illæ propositiones quæ desinunt esse contradiectoriæ, potius efficiantur contrariæ de lege, quam subcontrariæ, quando vero desinunt esse contradiectoriæ, quia idem terminus manet indistributus in vtraque, potius efficiantur subcontrariæ de lege, quam contrariæ: huic nos duplice causam assignamus quæstioni: vna est, quia quando manet idem terminus distributus in vtraque, magis accedunt propositiones eo titulo ad contrarias, quæ sunt vniuersales propositiones, quam ad subcontrarias. Altera est, quia vniuersale proprius accedit ad falsum, quam ad verum: particulare vero pro-

pius

pius accedit ad verum, quām ad falsum. Propositio enim vniuersalis falsa redditur vna tantum eius parte existente falsa : at vera si omnes partes veras oportet esse . Propositio particularis vera redditur vna tantum eius parte existente vera, falsa non est , nisi omnes eius partes sint falsæ . Quia ergo vniuersale proprius ad falsum accedit , quām ad verum, propositiones in quibus manet idem terminus distributus, potius efficiuntur contrariæ quia possunt simul esse falsæ , quām subcontrariæ, quæ non possunt simul esse falsæ . & quoniam particulare proprius accedit ad verum quām ad falsum, propositiones, in quibus manet idem terminus indistributus potius efficiuntur subcontrariæ de lege , quæ simul veræ esse possunt quām contrariæ , quæ non possunt. Iste enim propositiones omnis homo est omne animal, & homo non est animal, in quibus terminus animal distribuitur false simul sunt, & ideo de lege contrariæ putantur, tametsi nō sint cōtrariæ de modo enūtiandi, cum vtraque non sit vniuersalis.

Iste verò omnis homo est animal, aliquis homo animal non est, in quibus nomē animal nō distribuitur verè sunt, atque ideo de lege. subcontrariæ putantur, etiam si de modo enūtiandi

Liber secundus.

tiandi non sint subcontrariae cum altera sit vniuersalis.

CAP. V.

**I**n quo per cōsequentiam ostenditur oppositio propositionum.

**D**ocuimus hactenus rationē constituendi & cognoscēdi singulas species oppositionis ex subiecto & p̄dicatorio, quod sint in quā vniuersales, aut particulares. Iā nobis in eunda est alia ratio, atque etiam docenda, qua intelligamus, quo genere singulæ duæ propositiones opponantur. Hanc rationem, ut doceamus, scire est operæ pretium, quod oppositione contradictoria est maxima omnium oppositionum, quia cōtradicторiæ per oppositiones neque veræ, neque falsæ esse possunt. Duæ alię species oppositionis contrariae, inquam & subcontrarię excidunt à cōtradicторijs. Quare non tam vehementer opponuntur: quoniā aut pugnant veritate tantū, vel falsitate tantū.

Vnde in cōtradicторijs illa est legitima argumentandi ratio, atque forma, Hęc est vera, ergo altera falsa. hęc est falsa, ergo altera est vera.

vera. In contrarijs ita licet argumentari. Hęc  
est vera, ergo altera est falsa nō possunt enim  
contrarie propositiones esse verę: at non re-  
cte colliges, hęc est falsa, ergo altera est vera:  
nihil enim prohibet, utraque cōtrariam fal-  
sam esse. In subcontrarijs recte sic argues, hęc  
est falsa, ergo altera est vera: quia utraque fal-  
sa esse non potest: at non recte colliges hęc est  
vera, ergo altera est falsa, cum possit utraque  
vera esse. Hac re explanata tradūtur quatuor  
regulę quibus cognosci possit quo genere op-  
positionis singulę duę propositiones opponā-  
tur, atque id per consequentiam.

Prima regula est, Si dētetur duę propo-  
sitiones yniuersales oppositae qualitatis eiusdem  
de eodem, & affirmatiua inferat contradicto-  
rium negatię & non inferatur ab eo, illę duę  
propositiones contrarie erunt. Duę istę pro-  
positiones, omnis homo currit, nullus homo  
currit, contrariae sunt, quia affirmatiua infert  
hanc, aliquis homo currit, quę est contradic-  
toria negatię, & non infertur ab ea. Quod  
autem contrarie sint duę illę propositiones,  
ea ratiōne probatur, quia possunt simul esse  
falsę, & non possunt esse verę: quod ita pro-  
batur. Nam si non recte colligitur, ali-

G 3 quis

Liber secundus.

quis homo currit, ergo omnis homo currit:  
antecedens est verum & consequens falsum.

Quod si antecedens est verum, contradictriorum eius falsum est, videlicet, nullus homo currit: & similiter est falsum, omnis homo currit, cum sit consequens male consequentia, ergo possunt esse falsae duæ propositiones.

Quod autem non possint esse veræ probatur, quia si bene sequitur, omnis homo currit, ergo aliquis homo currit. vel, antecedens est verum, vel falsum si falsum, iam duæ priores propositiones non possunt esse veræ si verum ergo & consequens, est etiam verum, cum sit bona consequentia: quare eius contradictorium, nullus homocurrit, est falsum: ergo utra que vera, esse simul non potest siquidem altera alteram destruit. Quod autem de vniuersali affirmativa dicimus, idem censendum est de vniuersali negatiua. Quod plane constare possit volenti rem experiri.

Secunda regula, si dentur duæ propositiones particulares oppositæ qualitatis eiusdem de eodem, & affirmativa inferat ex contradictorio negatiue, & non inferat illud, propositiones illæ sunt subcontrariæ possunt enim dari simul veræ, simul autem falsæ esse non possunt. Quod ita

Ita probatur, quia si hoc contradictorium negatiue propositionis, omnis homo currit infert hanc particularem affirmatiuam, aliquis homo currit, vel antecedens est verum vel falsum, si falsum, eius contradictorium est verum, quare utraque propositio particularis non est falsa. Quod si ex particulari non colligitur vniuersale, antecedens erit verum, & consequens falsum, quare eius contradictorium est verum, ergo duæ ille propositiones sunt verae & non possunt (ut ostendi) falsæ existere. Sunt igitur subcontrariæ. Eadem quoque ratio vallet arguendo à negatiua ad contradictorium affirmatiuæ.

Tertia regula, Si dentur duæ propositiones oppositæ qualitatis, eiusdem de eodem, quarum una sit vniuersalis, altera particularis, & una inferat contradictorium alterius, atque ex eo inferatur, duæ priores propositiones sunt contradictiones. Ratio est quia neque vera utraque, neque falsa esse potest. Contradictoriū enim negatiue particularis est vniuersalis affirmatiua, & eius contradictorium est particularis negatiua, et si una sit vera altera est falsa & contraria ratione, quod possit quiuis facile intelligere.

Postrema regula est. Propositionis quarum

## Liber secundus

vna non infert contradictorium alterius neq;  
infertur ex eo, nulla ratione opponuntur, quia  
possunt simul veræ esse atq; falsæ. Sint propo  
sitiones A, & B, cōtradictoriū B, sit C, si A, nō  
infert C, ergo potest, A, esse verū, & C, falsū,  
quare eius contradictorium verū erit, illud est  
B, ergo A, & B, vera sunt. Rursum si C, non in  
fert A, C est verum quando A, est falsum C,  
est verum, ergo B, est falsum, eius contradic  
toriū. Quare A, & B, falsa sunt, nullo ergo pa  
cto opponuntur A, & B,

## CAP. VII.

**P**ropositionum triplex est materia, natura  
lis, contingens, remota. Naturalis est, in  
qua prædicatum est de essentia subiecti,  
vel proprium eius, ut homo est animal, homo  
est visibilis. Contingens, in qua prædicatum  
potest adesse & abesse subiecto præter subie  
cti corruptionem ut homo est iustus. Remota  
in qua prædicatum non potest conuenire sub  
iecto, ut homo est lapis.

Si querat aliquis, cur hoc loco de materia  
propositionum agamus, ea illi ratio reddatur,  
ut intelligamus leges oppositionum quas se  
quen

quenti capite tradituri sumus, & intelligamus, in qua materia oporteat existere propositiones contrarias, ut sint simul false, & subcontrarias, ut sint simul vere, non enim idem de qua vis materia iudicium est.

Est autem materia habitudo prædicati ad subiectum. Quæ habitudo quoniam triplex tantum est, triplex est etiam duntaxat propositionum materia: quod probatur, quoniam aut prædicatum non potest inesse subiecto, aut potest inesse & non inesse, aut non potest non inesse. Si prædicatum non potest non inesse est propositione in materia naturali, ut homo est animal, homo est animal rationale, homo est rationalis: homo est risibilis, cornu est niger, cygnus est candidus. Si posset inesse & non inesse prædicatum subiecto est in materia contingenti, ut homo est iustus, est albus, est pulcher. Si inesse nullo pacto possit, propositione est in materia remota, ut homo est lapidis. Quare triplex tantum est materia. Ex his quæ diximus, colligitur opinione Sophistarū, quod omnes propositiones quæ ex terminis efficiuntur synonymis sunt in materia naturali: ut indumentum est vestis, ensis est gladius. Item quæ constant ex terminis qui conuertuntur, ut homo est susceptius discipline. Postre

Liber secundus.

mō omnes propositiōnes in quibus prædicas-  
tur superius de inferiori, vt homo est animal.  
**I**n materia contingentī sunt omnes propositiōnes  
quæ constant terminis impertinentib⁹,  
vt album est dulce, & quarū prædicatum po-  
test abesse à subiecto, vt homo est albus.

**I**n materia remota sunt illæ propositiones  
quæ constant terminis repugnantib⁹, vt ho-  
mo est lapis, album est nigrum. Cæcum est vi-  
dens, homo est non homo.

**S**ecundo infero omnes propositiones quæ  
efficiuntur ex eisdem terminis esse in eadem  
materia, etiam si qualitate aut quātitate dis-  
crepēt. Quare iste sunt in materia naturali: ho-  
mo est animal, omnis homo est animal nullus  
homo est animal, homo potest esse animal.

**A**dversus ea quæ à nobis sunt diffinita de  
materia propositionum sic obijcio. Si mate-  
ria propositionum esset triplex, aliqua mate-  
ria propositionū esset triplex atque nulla, ma-  
teria triplex est, sed omnis est naturalis, aut cō-  
tingens, aut remota, ergo materia non est tri-  
plex: vulgo respōdetur, quod nomē materia,  
cū asserimus illam esse triplicē, supponit sup-  
positione immobili, quare non licet sub eo  
termino facere ascensum aut descensum, quē  
in ratione proposita fecimus. **S**ed mihi vide-  
detur

tur dicendum, quod dum affirmamus materiam esse triplicem, ille est eius propositionis sensus, quod quæ vis materia aliquo trium generum continetur: genere inquam materiae remotæ, contingentis, vel naturalis. Quod si ita est, quemadmodum universa materia triplex est, sic etiam quævis materia est triplex, id est aliquo trium generum continetur: quare ratio proposita nullam vim habet.

Secundo sic obiectio, hæc propositio est in materia contingentи. Homo est mortuus, ut appetat, & tamē prædicatum non potest adesse subiecto sine subiecti corruptione. Nā ut mortuum insit homini, homo existere non debet, ergo non recte diffinita est materia contingens. Hæc ratio facile diluitur, si dicamus propositionem propositam, non esse in materia contingentи, sed potius in materia remota, quia prædicatum repugnat subiecto, homo enim nisi viuat, homo sanc non est. Nam si homo est, animal est, si animal est, sentit, si sentit viuit, ergo si homo est, viuens est. Viuens autem & mortuum sunt termini repugnantes: ergo constituant propositionem in materia remota, tollit ergo prædicatum subiectum de medio, sicut eius oppositum viuens constituit hominem necessario, & propositio

Liber secundus.

nem in materia naturali. Sed de ea re longius  
disputauimus commentarijs in cap. de acci-  
denti.

Si quęrat aliquis, in qua materia sit consti-  
tuta hęc prępositio, Socrates est omnis homo,  
mihi videtur constare materia remota: quia  
prędicatum omnis homo repugnat subiecto  
secundum naturam, fieri enim non potest ut  
prędicatum omnis homo, Socrati conueniat  
seruata ista rerū natura. Si dicat aliquis, hęc  
constat eisdem terminis, quibus illa, Socrates  
est homo, sed hęc est in materia naturali ergo  
& altera, falsum assument, quia cūm signū om-  
nis sit pars extremitatis cum homine vtraquenon  
constat terminis eisdem, sed diuersis, quare  
non debet existere in eadem materia cūm al-  
tera. Hęc dixisse de materia sufficiat.

**De legibus oppositarum propositionum.**

**C A P. VI.**

In presenti Cap. Petrus Hispanus docet le-  
ges, aut naturam propositionum opposita-  
rum, nam vtrunque in presentia pro eodem  
vsurpatur, incipit autem ab oppositione cōtra  
dictoria, quia illa ( vt diximus ) maxima est:  
atque ita inquit.

Lex

Lex siue natura contradictoriarum propositionum talis est, ut si una est vera, altera sit falsa, & contraria, si una sit falsa altera sit vera. Rationem reddit, quia propositiones contradictoriæ in nulla materia possunt esse simul vere, aut simul falsæ, ut omnis homo est animal, quidam homo non est animal in natura. In materia omnis homo est iustus, quidam homo non est iustus, in contingenti. omnis homo est lapis quidam homo non est lapis. in materia remota. Hoc autem nulla alia ratione probari potest, quam per inductionem, quoniam ut Arist. docet, istud est commune axioma, aut communis hominum sententia. De quolibet est affirmatio vel negatio, & de nullo sunt ambo simul. Præterea contradicere, illud est, tollere, quod asserueras ponere, quod abstuleras. Quare si altera pars contradictionis vera sit, proculdubio falsa erit altera.

Lex siue natura cōtrariarū talis est, quod si una est vera, altera sit falsa, non contra: possunt enim ambæ simul esse falsæ non quidem in materia naturali, qua iste constant, omnis homo est animal nullus homo est animal: neque in materia remota, qua iste constat, omnis homo est lapis, nullus homo est lapis: sed dūtaxat in materia contingēti: ut omnis, homo

Liber secundus.

mo est iustus, nullus homo est iustus. Quod autem non possint simul esse veræ duæ prōpositiones contrariae, ea ratione probatur, quia alioqui duo contradictoria essent vera: quod ita persuadetur: Nam si ista propositio est vera omnis homo est iustus: ergo & ista, aliquis homo est iustus, siquidem est pars prioris, & recte colligitur, omnis homo est iustus, ergo aliquis homo est iustus antecedens verum est ergo & consequens, eius etiam contradictorium ex hypothesi, verum est, nullus homo est iustus: ergo duo contradictoria sunt vera. Lex sive natura subcontrariarum: est quod si una sit falsa, altera sit vera, quia non possunt esse falsæ simul. Non est autem necessarium, si sit una vera, quod altera sit falsa, possunt enim duæ subcontrariae veræ esse in materia contingentí, & quando prædicatū, significat accidēs subiecti, nō quidem inseparabile, quod non potest a subiecto diuelli, sed separabile. Ut aliquis homo est iustus, aliquis homo non est iustus. In materia autem naturali non possunt simul esse veræ: ut aliquis homo est animal, aliquis homo non est animal. Neq; in remota ut aliquis homo est lapis: aliquis homo non est lapis. Neque quando prædicatum dicit accidens, quod

a subic-

à subiecto dimoueri nō potest, vt aliquis cygnus est albus, aliquis cygnus non est albus. In omnibus enim his exemplis altera propositione vera est, altera falsa, vt plane constat. Quod autem subcontrarię propositiones non possint simul esse falso ea ratione conuincitur, quia alioqui duę contradictorię essent vere. Nam si iste sunt falso homocurrit, homo non currit, contradictionia utriusque est vera. Sunt ergo iste vere, omnis homocurrit, nullus homocurrit. Si autem contrarię vera sint, erunt duo contradictionia vera, vt ostendi paulo superius, quare de primo ad ultimum, si propositiones subcontrarię falso esse possent, contradictionia possent simul esse vera, quod est maxime absurdum, vt monstratum est. Verum quod necessario duę propositiones subcontrarię possint esse vere, ea ratione persuaderi potest, quia alioqui duę contradictorię essent vere. Id ut apertius constet, aliquot precepta in memoria habere oportet. Primum est, subcontrariarum propositionum contradictionia sunt contraria. Secundum est, contrariarū propositionum contradictionia sunt subcontraria. Tertium, contradictioniarum propositionum quae est subalternans particularis, est contraria uniuersalis.

Liber secundus.

falis, & subalternata vniuersalis est sub cōtra  
ria particularis: Quod hac figura deprehendit.

Omnis homo  
currit.

contrarię.

nullus homo  
currit,

Subalter.

Contra dictor

Subalter.

aliqui homo  
currit.

Subcontra,

aliquis homo  
non currit.

Postremò lex , aut natura subalternarum  
est, quod si vniuersalis sit vera, particularis etiam  
vera sit : non contra, si particularis est vera,  
vniuersalis debet esse vera: vt omnis homo  
currit, aliquis homo currit, inde fit, vt ab vniuer-  
sali que subalterna vocatur, ad particulari-  
reni que vocatur subalternata, optima sit con-  
sequentia.

Contra verò nō est necessariū, vt sit vniuersalīs vera, si sit vera particularis, vt in exemplo adhibitō planū est nisi id fiat ratione materię. Nam si vtraque propositio sit in materia naturali, & particularis affirmans vera sit vniuersalis est etiam vera: vt omnis homo est animal, aliquis homo est animal. In materia vero remota si particularis negans vera sit est etiam vera vniuersalis: vt aliquis homo nō est lapis, nullus homo est lapis. Ratione materię dixi, non posse contrarias esse falsas in materia naturali, aut remota, neque veras sub contrarias in materia naturali, aut remota quia ratione formae hoc est constitutionis contrariarum illae possunt esse simul falsæ: & sub contrarię simul verę, nam vniuersale coniunctum est falso particulare autem vero cum sint autem due contrarię vniuersales, falsæ esse possunt subcontrariæ autem verę, quia vtraque particularis est. Quod autem ratione formae contrarię falso esse possint, subcontrariæ verę hinc planū constat: quia sumptis quibuscunque contrarijs: quae non possunt ratione materię esse falsæ, reperiri aliæ possunt in simili forma quae sint falsæ. Similis etiam ratio subcontrarijs accommodari potest.

H Sunt

Liber secundus.

Sunt autem similis formæ illæ propositio-  
nes quæ sunt eiusdem quantitatis, & qualita-  
tis cuiusvis materiae fuerint. Nam forma pro-  
positionum contrariarum illa est, ut sit vtraq;  
vniuersalis oppositæ qualitatis. Forma vero  
subcontrariarum est quod vtraque sit particu-  
laris, altera assert̄, altera negans. Cetera om-  
nia quæ de similitudine formæ sophistæ exco-  
gitauerunt, somnia sunt, atque fabule.

*¶ Argumenta aduersus ea quæ  
dicta sunt.*

**V**erum ut ea quæ hæc tenus à nobis dicta  
sunt, planius constare possint, & morem  
geramus ætati, atq; etiā ingenio summulistâ-  
rum, antequam ad alia properemus, aduersus  
definita iam, & ratione constituta, rationes  
aliquot, atque argumenta coniijciant. Exerci-  
tatione enim apertiora, quæ diximus, redden-  
tur. Modum tamen in disputando obserua-  
re conabimur, ne nimium altercando (ut Mi-  
mus dixit) veritatē quam inquirimus amitta-  
mus.

Primum argumentor contra naturam con-  
tradictoriarum propositionū. Possunt simul  
dari

dari veræ duæ propositiones contradictoriæ ergo quæ definita sunt à nobis falsa sunt. Antecedens probo. Nam duę istæ propositiones, in Sequana sunt pisces, in Sequana non sunt pisces, contradictoriæ sunt (ut plane constat) vtraque autem vera est ( Sequana verò nomen fluuij est, qui Lutetiam abluit ) affirmativa enim vera, est opinione omnium, & familiaribus experimentis piscatorum, qui inde pisces extrahunt. Negativa probatur vera hac ratione. In Sequana aliqua existunt, quæ non sunt pisces, ergo in Sequana non sunt pisces. Item ea ratione in Sequana sunt non pisces, ergo non sunt pisces. Legitima videtur consequentia ab affirmatione ad negationē, prædicato variato penes finitum, & infinitum. Antecedens autem verum est, cum lapides existant in Sequana, qui sunt non pisces.

Argumentum facile diluitur. Principio quidem fatemur duas illas propositiones esse contradictiones, & affirmationem veram esse, at negatio falsa est. Vtraque vero ratio ad ducta ad probandum illam esse verā, vitiosa est, & vim nullam habet: quia in vtraque illud vitium inest, quod colligimus ex particuliari vniuersale: perinde ac si ita colligeremus Homo non currit, ergo nullum animal currit.

Liber secundus.

Nam cum dico in Sequana non sunt pisces, si gnifico nullum esse pisces in Sequana. Quare ita colligo in Sequana aliqua existunt quæ non sunt pisces, ergo nihil existit, quod sit pisces. Atque id accedit ratione participij conclusi in verbo, non sunt.

Eodem pacto sentiendum est de his duobus contradictorijs: inter hunc, & hunc diem erit bellum. Inter hunc & hunc diem non erit bellum priori pronomine in utraque propositione significante diem dominicum, posteriore vero diem Iouis. Videtur ergo si die dominico sit bellum, finiatur die mercurij, neque in diem Iouis protrahatur, propositio quæ affirmat, vera quæ vero negat, falsa. Si quis autem objiciat, aliquo tempore non erit inter hunc & hunc diem bellum, ergo non erit bellum inter hunc & hunc diem, nihil aget, committit enim vitium simile illi quod commissum est, cum adducebatur ratio ad probandum veram esse propositionem, quæ ait, in Sequana non sunt pisces ex parte temporis conclusi in verbo, erit. Equiualet enim huic ea argumentandi ratio, aliquando non erit bellum inter hunc & hunc diem, ergo nunquam erit.

Secundo sic solent Sophistæ argumentari, Duæ istæ propositiones sunt contradictoriæ omne

omne animal fuit in arca Noe, aliquod animal non fuit in arca Noe, & tamem vtraque vera videtur esse, affirmans enim omnium testimonio vera est. negans vero hoc pacto probatur vera, Arist, est, vel fuit aliquod animal & Arist. non fuit in arca Noe, ergo aliquod animal, non fuit in arca Noe.

Hæc ratio cō expectat, vt doceamus quare ratione oppositio facienda sit quando termini incomplete (vt Sophistæ dicunt) accipiuntur. Sed antequam hoc ipsum constituamus dicendum est, quo pacto sub termino qui incomplete accipitur, ascendendum, aut descendendum sit, cum volumus veram aut falsam propositionem probare. Signa igitur duplia sunt (quod obiter diximus cum de propositione ageremus tertia parte terminorū) quedam completa, alia incompleta. Completa signa (presertim distributiua) ea vocant, quæ pro quovis in diuiduo nomen, cui adduntur distribuunt, vt cum dico, omne animal sentit, omnis homo est animal. Pari ratione censendum est de signis particularibus, aut particularibus completis, vt aliquis homo est philosophus, aliquis homo non dat operam virtuti. Incompletū signū distribuens illud est, qđ nomen cui additur distribuit pro

Liber secundus.

aliquo cuiusuis speciei, ut cum dico, omne animal fuit arca Noe. Cuius ille sensus est, de qua uis specie animalium aliquod animal fuit in arca Noe. Particulare oppositum huic universalis facit nomen cui adiungitur accipi pro individuo alicuius speciei.

Hoc si verum est, planè colligitur, neq; omne, neque aliquod, ubi incomplete accipiuntur addi posse, nisi nomini genericō.

Duobus autem modis probari potest ea propositio, in qua signum omne, aut aliquod incomplete collocatur, unus modus est per equipollentē, hæc enim propositio, omne animal fuit in arca Noe, huic æquipolleat de qua uis specie animaliū aliquod animal fuit in arca Noe. Hæc vero, aliquod animal non fuit in arca Noe, huic de aliqua specie animaliū nullū animal fuit in arca Noe. Quod si ea cui æquipolleat propositio vera est, altera erit etiā vera si falsa, falsa etiam erit.

Alius modus est, more cæterarum per ascēsum, atq; descensum. Verūm hic ascensus aut descensus, alio sensu accipiendus est, quā quo passim accipi consueuit, nam sub termino distributo incomplete, verbi gratia, sub termino animal, cū dico, omne animal fuit in arca Noe, licet discēsus copulatiuus fieri possit hoc

pacto

paſto, hoc animal fuit in arca Noe, monſtra-  
to quoquunq; cōtentio ſub animali, ſiue mo-  
do ſit ſiue fuerit olim, non ſit tamē modo, ſen-  
ſus ille eſt, cum dico iſtud animal Aristo. vide  
licet fuit in arca Noe, de ſpecie de qua eſt A-  
rist. aut quoduis aliud monſtratum indiui-  
duum, aliquod animal fuit in arca Noe. In ne-  
gatiua verò propositiōne cum dico, aliquod  
animal non fuit in arca Noe, cuius ille ſensuſ  
eſt, ut diximus, de aliqua ſpecie animalium  
nullum animal fuit in arca Noe, diſunctiū  
aſcendendum eſt, ſic inquam, iſtud animal nō  
fuit in arca Noe, vel iſtud, quoquis monſtrato  
animali. Redditur autem ille ſensuſ, cum di-  
co, iſtud animal non fuit in arca Noe, de ſpe-  
cie de qua eſt iſtud animal nullū animal fuit  
in arca Noe. Hęc igitur ſatis ſint ut explice-  
mus qua ratione ſub termino incōplete accep-  
to particulari, aut vniuerſali aſcensus aut deſ-  
census fieri debeat. Nunc oportet docere  
qua ratione oppoſitio in hiſ ſignis conſtituē-  
da ſit, et cognoscenda, vbi conſtituta iam ſit.

In primis ſciendum eſt, triplex genus op-  
poſitionis in hiſ completiſ ſigniſ poſſe reperi-  
ri, quemadmodū in cæteriſ, quaꝝ perfecte aut  
cōplete uſurpantur, Contradictoriē oponū  
tur, omne aliquod, contrariē, omne nullum,

Liber secundus.

sub contrariè aliquod, aliquod non. Istæ enūciationes contradictoriæ sunt omne animal fuit in arca Noe, aliquod animal non fuit in arca Noe, vtroque loco signis acceptis incomplete: nam neque idem terminus in vtraque manet distributus, neque in distributus, vt ex sensu earum enunciationum planè constat. Prior enim æquiuale huic, de quauis specie animalium aliquod animal fuit in arca Noe: posterior verò huic, de aliqua specie animalium nullum fuit in arca Noe.

Contrariæ sunt, omne animal fuit in arca Noe, nullum animal fuit in arca Noe, siue animal in enunciatione negante perfekte distribuatur, siue imperfecte. Quia nullus terminus in vtraque manet indistributus: & vtraq; illa propositio simul vera esse non potest, potest tamen falsa esse. Subcontrariæ sunt ista, aliquod animal fuit in arca Noe, aliquod animal non fuit in arca Noe. In quarum vtraque nomen animal incompletè accipitur, vel in negante animal accipitur completere: nihil enim differt, & possunt ambæ illæ enunciations simul esse veræ, falsæ vero nulla ratione esse possunt. Subalternæ sunt duæ istæ omne animal fuit in arca Noe, aliquod animal fuit in arca Noe: quia prior infert posteriorem: & prior

prior vniuersitalis est: posterior particularis.  
Nihil præterea impedimento est, quo minus  
illas subalternas esse credamus.

His ita explanatis ratio proposita initio fa-  
cile soluitur. Concedo igitur affirmantę pro-  
positionem veram esse: nego tamen negantę  
etiam esse veram. Ita verò arguenti, A-  
ristotiles non fuit in arca No, ergo aliquod a-  
nimal non fuit in arca Noe. Concedo libēter  
legitimam esse consecutionem. sed antecedēs  
planè falsum est: & equiualeat enim huic ut dixi  
mus paulo superius, de specie de qua est Ari-  
stotiles, nullū animal fuit in arca Noe, quę qui  
dem enunciatio aperte falsa est.

Quod dictum est à nobis de his duobus si-  
gnis, omne, & aliquod, quando imperfecte ac  
cipiuntur, accommodari etiam potest ceteris  
signis incompletis, & eodem prorsus modo  
oppositio constituenda est in illis quomodo  
præcepimus superius, fieri in ceteris oporten-  
re: nihil enim opus est in presentia tempus te-  
rere in assignanda oppositione singulorum si-  
gnorum: quod Sophistæ præter rationem, ut  
cetera, faciunt. Sed ad alia referenda oratio  
est ex quibus vberior atq; etiam solidior fru-  
ctus decerpi possit: nam hęc omnia inuiti scri-  
bitus, & ob eam tātū cauīam, vt si possimus,

Liber secundus.

abstrahamus animos studiosorum ab ea mole  
inanum rationum & præceptorum, quibus  
haec tenus semiobruti sunt, & in quibus nos,  
nō sine magno nostro malo diutius quam par  
esser versati sumus.

Tertio sic argumentantur Sophistæ. Ista  
duæ propositiones sunt contradictoriæ, om-  
nes apostoli Dei sunt duodecim, aliquot apo-  
stoli Dei nō sunt duodecim, tamē possūt esse  
simul veræ. Hoc ita probatur nā affirmans pro-  
positio proculdubio vera est, negās vero proba-  
tur hoc modo, Petrus & Paulus sunt aliquid  
Apostoli, atqui illinō sunt duodecim, ergo a-  
liquot Apostoli Dei non sunt duodecim.

Vt paucis propositam quæstionem absolu-  
tius animaduertendū nobis est, quod signū  
illud, omnes, cū dico omnes apostoli Dei sunt  
duodecim, duob⁹ modis accipi potest: aut é-  
nim distribuit aut colligit. Vulgo dicitur, di-  
stributiue, aut collectiue. Quando distribuit  
signum omnes, licet facere ascensum vel de-  
scensum copulatiū sub illo nomine, quod af-  
ficit: quando vero colligit, minime id licet.  
Quia cum colligat omnes Apostolos, nomen  
illud commune existimat singulare. Aut si  
quo pacto licet facere ascensum vel descensum,  
copulatū debemus illum facere. Quare cum  
in

in hac propositione omnes Apostoli Dei sunt duodecim, signum omnes collectiue ut aiunt, accipiatur, in cōtradic̄torio idem signum collocari debet. Sūt igit̄ istæ propositiones cōtradic̄tořæ, omnis Apostoli Dei sunt duodecim. Omnes Apostoli Dei non sunt duodecim. Non istæ oēs Apostoli Dei sunt duodecim, aliquid non sunt duodecim: & negatiua fane propositio falsa est, affirmatiua vera.

Cum autem (ut diximus) affirmatiua propositio equipolleat singulari enuntiationi, & singulares enunciationes duntaxat opponantur contradic̄tořæ: sit ut illa enunciatio non possit habere contrariam enunciationem neque subcontrariam.

Quarto sic obijcio. Dux istæ propositiones opponuntur contradic̄toře, generatio est æterna, nulla generatio est æterna, & tamen dantur simul veræ. Maior est manifesta ex definitione contradic̄tořiarum. Minor probatur: Si ponamus veram esse Aristotelis summi philosophi sententiam, qui censuit mundum non habuisse initium, neque exitum ullum habiturum, tametsi ea cum Christiana religione pugnet.

Primum quidē propositio. quæ asserit æternam esse generationem vera est, ut constat:  
atque

atque etiam altera. Quod ita probo, quia nulla monstrari generatio potest, quæ fuerit eterna: omnis enim temporaria est, cum sit generatio rei temporariæ, atque caducæ: nam quæ generantur omnia individua sunt. Dicendū est ad hoc duas illas propositiones non esse contradictiones. Ratio est, quia non seruatur eadem suppositio: nam in affirmante nomine generatio immobiliter supponit, aut indefinite accipitur (quod idem omnino est) in negante accipitur mobiliter aut definitè. Cuius rei iudicium est signum illud nullus, quod nomine est adiectivum. Sunt autem contradictiones istæ, generatio est eterna: generatio non est eterna: in quarum utraque nomen generatio indefinite accipitur. Sensus enim aientis propositionis est, semper suisse generationem: quem altera negat, dicens, non semper suisse generationem. Duę etiam istae propositiones opponuntur contradictione, aliqua generatio est eterna, nulla generatio est eterna: in quarum utraque nomen generatio definitè sumitur: & mobiliter supponit & quæ asserit est falsa, quæ negat vera. Quod de his propositionibus diximus, alijs accommodari similiter potest, quarum est idem iudicium. Nam iste propositiones, ad videndum requiritur oculus nullus

Ius oculus requiritur ad videndum. Promitto tibi librum, nullum librum tibi promito, opinione Sophistarum contradictorię non sunt: quia in affirmatione accusatiuus casus immobiliter aut indefinitè supponit: in negatione vero diffinitę, aut mobiliter. Cuius rei causa non recte consequitur istorum sententia, promitto tibi equum, ergo equum tibi promitto. Istę vero enunciationes opponuntur contradictorię, promitto tibi equum, non promitto tibi equum: equum tibi promitto, nullum equum tibi promitto in quibus termini codē pacto accipiuntur.

Deinde Sophistę non contenti superioribus argumentis, alia inducunt, quorum aliquot attingā in pr̄sentia, vñs est, Due istę positiones sunt cōtradictorię quilibet equus hominis est animal, aliquis equ⁹ hominis nō est animal, & tamē dantur simul verę si vt modo fit, quibusdam hominibus equi sint, alijs mininic. Primum quidem affirmans enunciato vt planè constat, vera est negatiua vero probatur hac ratione. Equus Petri nō est animal Petr⁹ autē honio est, equus ergo hominis non est animal. Cōsecutio est legitima, & maior vera si Petrus equum nullum habeat minor aperior est, quam vt probari debeat.

Hanc

Liber secundus.

Hanc quæstionem, ut expediamus, referre in memoriam oportet, quod obiter attigimus tertia parte terminorum cum de restrictione ageremus, illud est, quod determinatio bifariam accipitur, quædam enim vnica est alia nō vnica. Vnica est quando rectus antecedit obliquum, ut leo hominis, non vnica cum obliquus antecedit rectum, ut hominis Leo. Inter utramque illud maximè interest, quod vnica determinatio unus putatur terminus: & vnica ratione resoluti debet, non vnicā vero plures termini creditur. Cum enim dico equus hominis, aut hominis equus, equum tantum significo quem homo possidet, casus autem obliquus in determinatione non vnicā quemuis hominem significat, siue ille equū habeat, siue non habeat. In determinatione vnicā, his autoribus, casus obliquus etiam restringitur. Quanquam ego istud discrimen falsum & præter rationē esse puto, quicquid Sophistæ dicant. Cum enim dico hominis equus currit, hominem significo, cui sit equus, & par est illa propositio, si grammaticis credimus, quibus logica aduersari non debet, huic, equus hominis currit.

Ex his accipi potest solutio argumenti propositi, concedo enim duas illas propositiones

nes contradicere , nego esse utrunque vera , quinimo affirmans vera est , negans plane falsa , equus inquam hominis non est animal.

Quencunque enim equum ostendamus falsa illa redditur propositio . Rationem vero ad ductam illo pacto diluunt quod negatiue argumentemur a restricto ad non restrictum.

Nam in antecedenti nomen equus , pro equo tantum usurpatur , quem Petrus possidet , in consequenti vero pro equo , quem homo possidet qui cunque ille homo sit . Non licet autem ea ratione argumentari . Quanquam si recte rem consideremus , illud etiam vitium admissum est , quod sub nomine hominis accipio Socratem , qui non habet equum , quod sane facere non licet , cum sit unus terminus obliquus casus atque rectus .

Postremo istæ duæ propositiones contradictoriæ sunt , quilibet homo habens filium diligit illum : homo habens filium non diligit illum , & datur simul veræ , si sint Aristotelii , verbi gratia , duo liberi , cū quibus solus existat , alterum vero diligit , oderit alterum , affirmans enim vera est , ut appareat , & negans similiter .

Quia Aristoteles habet filium , quem odit , non diligit illum . Dicendum tamen ad hoc est , duas illas propositiones contradicere , & facta illa

Liber secundus.

illa hypothesi affirmans enuntiatio vera est negans falsa, quia relatum in ea distribuitur, & una pars eius est falsa, ea videlicet quæ significat filium quem charum habet.

Hæc satis superq; sunt, ut ad fastidium ceteram exerceantur adolescentes, quos ego male tractare feria, quam in re tam vili, & nullius frugis, ingenij vires periclitari. Iam ad secundam partem traham, & differamus de equipollentia propositionum.

*De æquipollentia.*

*CAP. VIII.*

Været fortasse aliquis, cur de æquipollentia propositionum differamus hoc loco huic nos eam rationem reddere poterimus, ut copiam habeamus propositionum ad disputandum cum alijs, præterea etiam ut minori negotio possimus intelligere quæ propositio vera sit, quæ falsa per æquipollentem enuntiationem.

Et quoniam æquipollentia ex oppositione proxime ortu habet, ut facile constare possit ab soluta disputatione de oppositione de æquipollentia nobis dicendum est. Est autem æquipollentia concordia propositionum eiusdem subiecti.

dam verò aut cognoscēdam effectam iam cō-  
quipollentiam tria præcepta suppeditantur  
à Petro Hispano, accepta a veteribus, sed ma-  
ximè ab Arist. Primum est propositiones cō-  
tradicторię efficiuntur equipollentes præpo-  
sita negatione cuius illarum. v.g. Omnis ho-  
mo disputat aliquis homo non dispuat, effi-  
ciuntur æquipollentes adiecta vtrius nega-  
tione. Hęc enim, non omnis homo dispuat,  
æquipollet huic, aliquis homo non dispuat.  
Hęc verò non aliquis homo non dispuat, e-  
quipollet huic, omnis homodispuat. Secun-  
dum præceptum. Propositiones cōtrariæ ef-  
ficiuntur equipollentes postposita negatio-  
ne cuius illarū. Hęc enim propositio omnis  
homo dispuat, æquipollet huic: nullus homo  
dispuat. Tertium præceptum. Propositio-  
nes subalternę efficiuntur æquipollētes præ-  
posita atq; postposita negatione vtrius illa-  
rum. Hęc enim propositio, non aliquis homo  
nō dispuat huic æquipollet omnis homo dis-  
putat. hęc vero non omnis homo non dispu-  
tat, huic, aliquis homo dispuat. Quę omnia  
illo carmine significātur, Præ contradic. post  
contra, præ postq; subalter. Præposita enim  
negatio efficit æquipollētes propositiones cō-  
tradicторias, postposita contrarias, præposita

I & post-

Liber secundus.

& postposita subalternas.

Quod autem diximus de propositionibus ad signa ipsa trāsferri potest, inter quæ perinde reperitur oppositio, atq; inter propositiones. Nam omnis & quidam non contradicunt omnis & nullus contraria sunt: oīs, & quidam nullus, et quidā nō sunt subalterna.

Si roget aliquis vnde ista prēcepta robur accipient, nihil aptius dici potest, quam accipere vim ex more, atq; ex communī loquendi consuetudine. Nā tametsi taceat Dialectica, loquetur Grammatica: quod nos tribus illis præceptis tradidimus. Inefficienda propositionum equipollentia retineri debet latini sermonis probata consuetudo, & aurium iudicium subinde consulendum est,

Propositionibus subcontrarijs nullum prēceptum accommodari potest, quod firmum, atque perpetuum sit, illud solum verum est, affirmantem enūciationem, si eidem postponatur negatio, equipollere neganti subcontrariæ: est enim eadem cum illa, vt experienti facile constare potest. Illud tamen silentio præterire non conuenit, cum denegatione in præsentia loquimur, nō significari a nobis negationem infinitantem: hoc est quæ nomen reddit infinitum: sed negantem, id est, quæ ne-

negatiuam constituit propositionem. Vni-  
versa vero ista precepta in duabus propo-  
nibus spectantur: Omnis homo est animal.  
Nullus homo non est animal. Nam si prepo-  
sitam negationem consideres, efficiuntur cō-  
tradicториē equipollentes: si postpositam, cō-  
trarie: si prepositam & postpositam subal-  
terne. Et hęc de equipollentia dixisse suffi-  
ciat.

### *¶ De conuersione propositionum.*

#### *CAP. IX.*

**T**Riasunt, de quibus disputare in animum  
induximus initio huius libri, oppositio,  
conuersio, equipollentia. De opposi-  
tione & æquipollentia haętenus à nobis dis-  
putatum est. Tempus est iam, vt de conuer-  
sione, quæ postrema pars est, differamus: atq;  
id, vt ratio postulat disputationis, succincte  
& sub quadam breuitate. Eius enim contem-  
platio magnopere profuerit ad reducendum  
syllogismos imperfectos ad perfectos. Cuius  
rei gratia Aristoteles caput. 2. & . 3. lib. 1. de  
priori resoluti, de conuersione differit. Pro-  
dest etiam magnopere conuersionis cognitio

Liber secundus.

ad argumentandum, ut plane constat. Conuersio verò ( vt pingui Minerua loquamur ) est permutatio quædam prædicati in subiectum. v.g. cum dico animale est homo, conuerto istam enuntiationem, homo est animal, quoniam ex prædicato efficio subiectum atque ex subiecto prædicatum.

Conuersio autem triplex est, vna simplex, altera per accidens, tertia per contrapositio nem. Conuersio simplex est cum de prædicato efficio subiectum seruata simili qualitate & quantitate. Hac ratione conuertitur duplex genus propositionum: videlicet propositio vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua, hoc paſto, Nullus homo est equus nullus equus est homo, aliquis homo est animal, aliquid animal est homo. Hoc significatur, cum dicitur à Sophistis, simpliciter feci, id est simpliciter conuertuntur propositio vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua, quæ significantur illo verbo feci, nam E. significat vniuersalē propositionem negantem. I. particularem aicentem, aut affirmantē A. vniuersalem aicentem. O. particularem negantem. Quod etiā illis carminibus exprimi tur, Afferit. A, negat. E. sunt vniuersaliteram bo. Afferit. I. negat. O. sunt particulatiter

am-

**ambo.**

Illas verò propositiones quę simpliciter cōuertuntur, Aristoteles inquit in seipso conuerti lib. i. priorum, quoniam nullo medio interiecto conuertuntur, non autem ut inepte quidam dixit, quia nullum in ea conuersione accidens mutatur, scilicet neq; quantitas neque qualitas.

Conuersio per accidens est, quando prædicatū efficitur subiectū et subiectū prædicatū seruata qualitate eadē nō quātitate. Hoc modo potissimū cōuertitur propositio vniuersalis affirmās. v.g. Omnis homo est animal ali quod animal est homo. Dicitur autem hæc conuersio per accidens, quia vniuersalis propositio quę affirmat, per aliud, & non per se conuertitur in particularem, nam quia ista propositio, omnis homo est animal, infert istā homo est animal, & hæc conuertitur in hanc, animal est homo, per accidens vniuersalis illa propositio, omnis homo est animal, dicitur conuerti in illam, animal est homo, vt plane cōstat. Sophistæ dicūt vniuersalem etiam negantem conuerti per accidens, aut in partem ita enim Arist. loquitur. verb. g. Nullus homo est animal, ergo aliquid animal non est homo. Neq; mirum id est, nam si propositio

I 3 vniuer

Liber secundus.

vniuersalis negans in scipsum conuertitur, cō  
uertetur etiam in particularem, quia vniuer  
salis infert particularem. Hęc enim nullus ho  
mo est animal, vertitur in hanc, nullum ani  
mal homo est, quare in hanc aliquod animal  
non est homo. Istud verò Sophistæ significat  
illa parte carminis, Cōuertitur. Eua. per acci  
hoc est vniuersalis affirmans, & negans per  
accidens conuertuntur, quae significantur il  
lis duabus literis vocalibus. A E. si aliquis ne  
get conuerti propositionem vniuersalem ne  
gantem, particularem afferentem, vniuersa  
lem etiam affirmantem nos facile eundem  
conuincemus ratione, quam est sequutus A  
ristoteles. capit. 2. liber. 1. de priori resolu  
tione, quę à nobis facile explicabitur hoc pa  
cto, rogo enim aduersarium, vtrum proposi  
tio vniuersalis negans conuertatur simplici  
ter necne. Si dicat cōuerti simpliciter si per  
uacaneum fuerit rationem adducere ad faciē  
dam huius rei fidem, si neget, sequitur istam  
consequentiā non esse legitimam. Nullus  
homo est lapis, ergo nullus lapis, est homo.  
Quare antecedens est verum, & consequens  
falsum. Consequens falsum est, ergo eius con  
tradictorium est verum, Si aliquem lapidem  
esse hominem verum est, id q̄ lapis est, atque  
homo

homo sit. A. Quod si, A. est lapis, & est homo  
homo est lapis. Quare nullus homo est lapis,  
& homo est lapis, veræ enuntiationes sunt, at  
qui contradictoriæ sunt, Ergo nisi vniuersa-  
lis negans conuertatur simpliciter, duo con-  
tradictoria vera erunt.

Si verò vniuersalis asserens non conuer-  
tatur in partem, duo contraria erunt vera.  
Nam si non recte colligitur, omnis homo est  
animal, ergo aliquod animal est homo, ante-  
cedens est verum, & consequens falsum, atq;  
etiam eius contradictorium verum nullum  
animal est homo, cum autem inferatur ex eo  
dem, nullus homo est animal, erit hoc etiam  
verum. Quare duo cōtraria, omnis homo est  
animal, & nullus homo est animal sunt vera.

Postremò si particularis asserens non con-  
uertatur simpliciter, duo contradictoria erūt  
vera. Nam si non recte sequitur, aliquis ho-  
mo est animal, ergo aliquod animal est ho-  
mo, antecedens verum est, & consequens fal-  
sum: quod si ita est, eius contradictoriū, nem-  
pe nullum animal est homo, est verum, qua-  
re erit etiam illud verum, nullus homo est a-  
nimal, in quod cōuertitur, atq; ex cōsequēti

Liber secundus

duo contradictoria erunt vera, videlicet aliquis homo est animal, nullus homo est animal.

Propositio verò particularis negatiua neque simpliciter, neq; per accidens cōuertitur.

Conuersio pér contrapositionem est, cum facimus de subiecto prædicatum, & contra, seruata quantitate & qualitate eadem, mutatis tamen terminis finitis in terminos infinitos. Isto modo conuertunt propositionē particularem negantem Sophistæ, verb.g. Aliquis homo non est lapis, aliquid nō lapis nō est homo. Verum huius conuerſionis per contrapositionem, aut nullus omnino aut sanc per quā exiguus usus est, si perinde efficiatur atque vulgo fit: nam cum conuersio propositionum inter cætera pertineat ad explanandas enuntiationes obscuras, & conuersione per contrapositionem longè impeditior atq; obscurior propositio efficiatur nullo modo pertinere illa poterit ad intelligendum propositionem difficultem, & sanè ea ratio loquē di portentosa est. Licebit autē aliquem ex ea fructum capere, si ita faciamus cōuersionem, Omnis homo est animal ergo quod nō est animal non est homo. Omnis voluptas est ex petenda, ergo quod non expetitur, voluptas non

non est. Considerandū ramen hoc loco est, cōuerſionem pertinere ad consequentiam nam quēuis propositio illam infert, inquam cōuerſitur, tametsi nō semper ex eadem inferri posſit. Valet enim consequentia à conuersa pro positione ad conuertētem. verb. g. Homo est animal, ergo animal est homo. Nullus homo est lapis, ergo nullus lapis, est homo. Omnis homo est animal, ergo aliquid animal est homo. Omnis homo est animal, ergo quod non est animal non est homo. Ratio est, quia ut Arist. testatur libro de interpretatione nomina & verba transposita, idem significant, qua re vnum ex altero recte colligitur.

Contra istam sententiam est argumentum. Non semper valet consequentia conuersa ad conuertētē ergo documentum falsum est. Antecedens probo, nam non recte sequitur, Petrus videt Paulum, ergo Paulus videt Petrum. Socrates est in domo ergo domus est in Socrate, & tamen seruopræceptum. Sed obiectio facile adimitur, si meminerim⁹, quod in omni conuersione illud est diligenter obseruandum, ut integrū subiectum efficiatur prædicatum: & integrū prædicatū efficiatur subiectum, alioqui nō fiet legitima conuersio. Quare hæc propositio, Petrus videt Paulum

I 5 non

Liber secundus.

non debet hoc modo conuerti , Paulus videt Petrum, set hoc , videns Paulum est Petrus: & hæc, Socrates est in domo, nō debet conuer ti in hæc domus est in Socrate, set in hanc exi stens in domo est Socrates . Siquidem istud est integrum prædicatum, non quod prius cœ peramus.

Verum ut hanc rem absoluamus , paucis e- tiam admonendus est lector , quo pacto pro positiones de præterito & futuro , rursum e- tiam modales conuerti debeant ut vna pro positio per consequentiam aptè colligatur ex altera. Hactenus .n. solum aperuimus mo dum cōvertendi propositiones de præsenti , quæ parum negotij, faciliunt. Aristoteles ca pite secundo libri primi priorum ait , istas e- nuntiationes eodem omnino modo conuerti verum Sophistæ aliter putant , quorum sentia explicatur his documentis.

Primū documētū, Propositio siue de præte rito sit, siue de futuro, siue etiā modalis, in qua vterq; terminus antecedit copulā, vel cōsequi tur illā vterq;, cōvertitur p̄mutatis tantū ter minis. v.g. Fuit Adā sapiēs, fuit sapiens Adā. Antichrist⁹ callid⁹ erit, callidus Antichrist⁹ erit. Cōtingēter De⁹ creat, cōtingenter creat Deus. Atque hæc ratio cōvertendi facilis ad

modum est atque expedita.

Secundum documentum: Quādo alter ter  
minus antecedit verbum ,aut modum , alter  
consequitur,debet conuerti propositio serua  
to sensu,quem efficiebat, verbi gratia , Deus  
necessario creat , in hanc conuertitur , quod  
creat necessario est Deus. Isto enim pacto si  
conuersio efficiatur,seruabitur ratio conuer-  
tendi,& ex vna propositione alterā recte sa-  
ne colligetur:alias minime. Si enim istā pro-  
positionem, Deus necessario est creans in hāc  
simpliciter conuerteremus creans necessario  
est Deus,prior esset falsa,posterior,vt appa-  
ret vera:nam facultas creandi tantum inest  
Deo. Sed de conuersione modalium proposi-  
tionū ad calcem huius disputationis plura su-  
mus dicturi.

Tertium documentum : In conuersione ca-  
uendum est,ne mutetur nominum significa-  
tio,sed in vtraq; propositione eadem prorsus  
maneat,aique etiam sensus idem . Non enim  
recte conuertas,homo est nomen, ergo nomē  
est homo,homo est species:ergo specie est ho-  
mo,si varietur significatio,& in priori nomē  
hō pro humana natura usurpetur in posterio-  
ri pro singulis hominibus : rursus si in pro-  
positione illa, homo est nomen homo usur-  
petur

Liber secundus.

petur pro dictione, in altera vero nomen homo sumatur pro re ipsa. Ratio est, quia cum termini diuersi sint significatione, non effici tur ex praedictato subiectum: quod est ad conuersionem necessariū. Quod si eadem perstet significatio, conuersio recte effecta erit. Hæc si seruemus, non erit opus regulas conuersio-  
nis quas tradit Aristot. vlo pacto corrigere,  
quod faciunt Sophistæ.

*¶ De modalibus. Cap. X.*

**D**uo sunt genera propositionum catego-  
ricarum de quibus à nobis in præsentia  
suscepta est disputatio: quia de hypothe-  
ticis alio loco dicemus. Vnum genus est earū  
propositionum quæ vacat modo: hoc est nul-  
lo modo afficiuntur: aliud earum quæ modo  
constant, atque ob eam rem modales appellā-  
tur, de priori propositionum genere plura for-  
tasse diximus insuperioribus, quam par esset  
relicuum est ut de posteriori genere differa-  
mus, ut finem imponamus oppositioni cate-  
goricarum propositionum. De modalibus ve-  
ro enunciationibus disputatio non debet cui  
piam supercruacanea videri, quoniam præter-  
quam

quām quod admodum iucunda est, ingenio constat, & ad multa alia cognoscenda vberē frutū adfert. De his modalibus, vt exactè disceramus, explicāda est oppositio, atque æqui pollentia: nā quo pacto conuerteretur, obiter admonuimus, quo tempore de reliquarum propositionum conuersione desisterebamus.

Quāquam de hac ipsa re nonnihil etiam superiori disputationi adjiciemus. Hoc vt præstems cōmodius, initio dicendum nobis est quid modus sit, & quot sint illi modi qui propositiones efficiant modales. Nam si id aperuerimus, planū erit, quam appellemus propositionem modalem.

Modus igitur est adiacens rei determinatio. Modi potissimum sunt quatuor, contingens, possibile, impossibile, necesse. Modi isti vocantur quia enuntiationi in qua collificantur modum imponunt.

Hi duobus modis proferuntur, vt aduerbia & vt nomina. Vt nomina accipiuntur, cū ita proferuntur, contingens, possibile, impossibile, necessarium, vt aduerbia vero quando hac ratione efferuntur, contingenter, possibliter, impossibiliter, necessario.

Interest inter modum, quando est nomen, & quando est aduerbiū, quod ubi est nomine efficitur

Liber secundus.

efficitur extre<sup>m</sup>um alterum: vbi est aduersum, minime extre<sup>m</sup>um efficitur.

Propositio itaque modalis hac ratione finiri potest. Est propositio, quæ afficitur aliquo modo. Ut necesse est Deū esse. Contingit hominem sapere. Impossibile est cælum ruere. Possibile est Socratem fuisse virum bonum. Hæc verò modalis propositio duplex vulgo putatur, una composita, altera diuisa. Modis composita est in qua modus est alterius extre<sup>m</sup>um, subiectum inquit, aut prædicatum ut, possibile est Socrate disputare: vel Socratem: disputare est possibile. Quod vbi continet alterum extre<sup>m</sup>um Sophistæ dictum appellant. Diuisa est illa cuius modus non est alterum extre<sup>m</sup>um, ut Socrates possibiliter disputat. Aristote.lib. 2.de interpretatione. & lib. 1.de priori resolut. cap. 3. quibus locis modicatarum enuntiationum meminuit, solum fecit mentionem compositarum, atque hunc sequitur Petrus Hispanus: quare de his nobis in priinis differendum est.

Quemadmodum autem propositio de futuro vera censetur, quia propositio de præsenti cōstat cisdem terminis aliquādo erit vera: propositio verò de præterito putatur vera: quia propositio de præsenti ex cisdem terminis

nis composita fuit aliquando vera: sic etiam propositio modalis de possibili vera est, cuius de præsenti quæ vulgo vocatur de inesse, effecta ex eisdem vocibus possibilis est: falsa, quæ non est possibilis.

Propositio de cōtingenti vera est, si proposicio de inesse effecta ex eisdem vocibus est contingens: falsa, si contingens non sit.

Propositio de impossibili est vera, si proposicio de inesse effecta ex eisdem vocib⁹ sit impossibilis: falsa, si nō sit. Propositio de inesse impossibilis.

Propositio demum in qua ponitur modus necesse, vera est si propositio de inesse effecta ex eisdem vocibus sit necessaria: falsa vero si non sit necessaria.

His ut cumq; explanatis equum est iam, ut de equipollētia, & oppositione propositionū modaliū differamus, exordium sumentes ab equipollētia. Ea enim perfecta, oppositio minori negotio cōstabit. Hanc ut explanemus animaduertendū est quod singuli modi possunt cōficere quatuor ḡna modaliū, ppositiōnū. Quod pbatur, quia singuli modi quatuor modis diuersis ad affirmationē & negationē possunt cōparari. Aut enī modus & verbū va-  
cāt negatiōe, ut possibile est Socrā, disputare  
aut mo-

Liber secundus.

aut modus vacat negatione, & verbum negatione afficitur, vt possibile est Socratem non disputare: aut modus negatione afficitur, verbum autem minimè, vt non est possibile Socratem disputare: aut modus & verbum afficiuntur negatione, vt non est possibile Socra tem non disputare.

Quod autem de hoc modo possibile dicimus, accommodari potest tribus reliquis modis, contingentī scilicet, impossibili, necesse. Quam obrem quatuor modi conficiunt decem & sex genera propositionum modalium. Iste numerus cōficitur ducto per seipsum numero quaternario.

Aequipollentiæverò istorū quatuor modorum cognoscūtur quatuor præceptis, quæ significantur quatuor illis dictionibns, Amabimus, Edentuli, Iliace, Purpurea, quæ vt exāctius intelligi possint pauca admonendus mihi lector est.

Primum est, quod vt quatuor modi sunt qui cōstituunt propositiones modales, sic quatuor voces traduntur, quas dixi, quibus modi illi significantur.

Deinde vt sic singuli modi quatuor genera propositionum modalium conficiunt singulae dictiones propositæ quatuor tantum literas

tas vocales habent, quibus illa genera modaliū propositionum significantur.

Tertio literæ vocales sunt hæ. A E I V, quarum singulæ singularum dictionum prepositarum initium sunt.

Vlterius, prima vocalis cuiusvis dictionis propositi significat ppositionem, in qua collocatur modus posibile, secunda significat propositionem in qua ponitur modus contingens, tertia significat propositionem in qua existit modus impossibile quarta in qua ponitur modus necesse. Hoc autē rudi illo carmine significatur, Possibile contingens, impossibileq; necesse. Rursum litera. A. significat propositionem modalem, cui ipsa respondet omnino negatiōe vacare. E. significat propositionem modalem cui ipsa respondet constare modo, qui vacet negatiōe, & habere verbum negatione affectum. I. significat propositionem cui ipsa respondet negationem habere adiunctam modo: carere autem verbum negatione. V. verò significat propositionem modalem, cui ipsa respondet habere negationem adiunctam verbo, atq; etiam modo. Hoc etiā crassio illo versiculo exprimitur. E. dictū negat, I. que modū, nihil. A. sed. V totum.

Quatuor verò differentiæ propositionum

K moda

Liber secundus.

modalium quas conficiunt singuli modi acci-  
pi possunt ex quatuor commemoratis dictio-  
nibus. Differentiae quas facit possibile ex pri-  
mis vocalibus quatuor dictionum : differen-  
tiae quas constituit contingens ex secundis:  
quas constituit impossibile extertijs: quas ve-  
ro necesse, ex ultimis, ut circuferenti per di-  
ctiones animum planum erit.

Postremo scias, quod tametsi Aristoteles c. 3. lib.  
1 de priori resolutione duobus modis dicat  
vsurpari contingens, in presentia tantum v-  
surpatur pro possibili, atque ideo possibile &  
contingens in superioribus dictionibus sem-  
per collocantur simul, & sub eadē forma pro-  
feruntur. Hęc omnia necessaria sunt, ut intelli-  
gamus equipollentiam & cōsequentiam p-  
positionum modalium, quibus explanatis di-  
ctiones apertiores evadent, & equipollentia  
parum nobis negotij exhibebit.

Primum documentum: quatuor ppositio-  
nes modales quae significantur prima illa di-  
ctione, Amabimus, equipollentes sunt. Sunt autem  
illae. Socratem disputare possibile est. con-  
tingit Socratem, disputare, non est impossibili-  
ble Socratem disputare. Socratem non dis-  
putare non est necesse. Istae enim omnes  
propositiones equipollent, Nam non im-  
possible

possibile idem est quod possibile, & non necesse, non idem quod possibile, quia ut dicimus inferius, possibile et impossibile contra dicunt, præposita igitur negatione equipollent. Rursum possibile & necesse subalterna sunt, præposita igitur & postposita negatiōe equipollent,

Secundum documentū, Quatuor propositiones modales quæ significantur secunda illa dictione, Edentuli, æquipollent. Sunt illę, Socratem non disputare possibile est. Socratem non disputare nō est impossibile. Socratem disputare nō est necesse. Nam impossibile nō, contingēs nō, non impossibile nō, non necesse æquipollent.

Tertiū documentum. Quatuor propositiones modales quæ significantur tertia illa dictione, Iliace, æquipollent inter se, sunt illę. Socratem disputare non est possibile. Socratem disputare non contingit, Socratem disputare est impossibile. Socratē non disputare est necesse. Nā non impossibile, nō contingēs impossibile, necesse non æquipollēt.

Quartū documentū. Quatuor ppositiones modales quæ significatur quarta illa dictiōe purpurea, æquipollēt: sunt illę, Socratē nō dis-

putare non est possibile, Socratem non dispu-  
tare non est contingens. Socratem non dispu-  
tare est impossibile. Socratem disputare est  
necessæ. Si quidem non possibile non, contin-  
git non impossibile non. & necessæ æquipol-  
lent.

Hæ sunt æquipollentie modalium propo-  
sitionum. Quam obrem singulæ proposicio-  
nes singularum dictionum commemoratarū  
inferunt tres alias, quæ eadem voce continen-  
tur: sequitur enim optime in Amauimus, pos-  
sibile est Socratem disputare, ergo contingit  
Socratem disputare, non est impossibile Sō-  
cratem disputare, non est necessæ Socratem  
non disputare. Eodem modo colligitur in cæ-  
teris dictionibus. Atque hic fructus est maxi-  
mus qui ex cognitioneistarum æquipollentia  
rum capi possit.

Reliquū igitur est ut de oppositione etiam  
modalium propositionum differamus. Ve-  
rum in modalibus propositionibus quemad-  
modum in cæteris sunt contradictionia, cōtra-  
traria, subcontraria, subalterna. Propositio-  
nū autē modaliū oppositio intelligetur faciliter  
explicata modorum oppositiōe. Modi igitur  
possibile impossibile, cōtingēs, necessæ, hoc pa-  
cto opponuntur: possibile, & impossibile cōtra-  
dicunt,

dicunt,impossibile & necesse contraria sunt  
possibile,possible non sub contraria sunt,im  
possibile,possible non sub alterna sunt,item  
necessæ & possibile . Quod hac figura facile  
deprehendi possit.

**Impossibile. contrariæ. Necesse**

*S*  
*equales.*

*Contra dictor*  
*Contra dictor*

*Subalter.*

**Possible non. Subcontra. Possible.**

Atque ut hoc obiter dicamus , impossibile  
est idem quod nullus,hoc est vniuersale nega  
tiuum.necesse,omnis vniuersale affirmatiuum  
possibile quidam particulare affirmatiuum  
possibile non quidam non , particulare nega  
tiuum.Quod duobus illis rusticaniis carmini

K 3 nibus

## Liber secundus.

bus exprimitur, Omnis necesse valet, impossibile nullus. possibile quidam, quidam non possibile non. Modorum vero oppositio - ne perspecta modalium propositionum op- positio longe facilius constabit.

Opponuntur autē contrariē propositiones quæ efficiuntur in Iliace & Purpurea, subcontrariē verò ppositiones quæ existūt in amabim⁹ et quæ sūt in Edētuli. Et quoniā subcōtrariæ ppositiones vt diximus, sunt cōtradic̄torię cōtrariarū, ppositiones quæ sūt in Iliace, opponūtur cōtradic̄torię ppositionibus quæ fiunt in Amabim⁹: & quæ fiunt in Purpurea, ppositionib⁹ quæ fiunt in Edētuli. at verò ppositiones quæ fiunt in Purpurea subalterne sunt earum propositionum quæ conficiuntur in Amabim⁹: & quæ fiunt in Iliace propositionibus, quæ efficiuntur in Edentuli. Hoc autem quod diximus, facile verum esse intelliget, qui præsentem figuram velit at tentius contemplari.

purpurca.	contrariæ.	Iliace.
-----------	------------	---------

Subalter.

Contra dictor.

Subalter.

Amabimus	Subcontra.	Edentuli,
----------	------------	-----------

Ea verò quæ diximus hæc vnica ratione probantur quia postrema propositio in purpurea est illa, necesse est Socratem disputare & postrema in Iliace est, necesse non est Socratem disputare, sed iste duæ propositiones ut planè constat, contrariæ sunt, ergo omnes propositiones quæ efficiuntur in purpurea sunt contrariæ propositionibus quæ sunt in

K 4 Iliace.

Liber secundus

iliace. Probo consequentiā quia omnes quę in singulis modis propositiones existūt , sunt æquipollentes, vt monstrauimus cum de æqui pollentia modalium tractaremus , ergo quæ vni contrariatur propositio,cæteris omnibus quę eadem voce continentur, contraria est.

Rursus prima propositio quę existit in Amabimus est hęc possibile est Socratem disputare, prima etiam propositio in Edentuli, est, possibile est Socratem non disputare , sed possibile est Socratem disputare, & possibile est Socratem non disputare, opponuntur sub contrarie, ergo & ceterę propositiones quę il lis duabus vocibus cōtinentur. Probo consequentiam,quia omnes propositiones quę in singulis modis sunt , æquipollent inter se.

Quod si verū est, vt est sanè quam verissimū, Amabimus,& Iliace,cōtradicunt. Nam pos sibile est Petrū disputare,quę est prima propositio in Amabimus,contradicit huic,necesse est Petrum non disputare,quę est postrema propositio,in Iliace. Quare & ceterae om nes,cum æquipollentes sint contradicunt. Idem iudicium est de his duabus propositioni bus Socratem disputare est necesse,quę est po strema propositio in Purpurea , & Socratem non disputare est necesse,quę est prima in I liace

Iiace:contradicunt enim. Quare & cætere, ratione paulo superius à nobis assignata.

Purpurea verò & Amabimus subalterna sunt, quia Petrum disputare est necesse, quæ est postrema propositio in Purpurea, est subalternans huins, Petrum disputare est possibile, quæ est prima propositio in Amabimus: quare & cætere quæ duabus illis vocibus propositiones continentur, sunt subalterne.

Idem sentiendum est de Iliace, & Edētuli: nam illa propositio, non est possibile Petrum disputare, quæ est prima in Iliace, subalternans est illias, possibile est Petrum non disputare, quæ est prima in Edētuli: quare cætere etiam propositiones quæ duabus illis vocibus continentur, subalterne sunt: cum quæ in illis propositiones existunt, sint æquipollentes.

### *De modalibus quas vulgo diuisas*

*vocant C A P. II.*

**D**E modalibus compositis haec tenus à nobis disputatum est, & fortasse lōgiori oratione, quam par esset. nunc verò ut turba sophistarum placcamus, pauca quedam de modalibus ( quas diuisas vocant ) dissere-

K 5 mu

Liber secundus.

mus. Potissimum vero dicemus, quid intermodalem compositam, & diuisam discriminis sophistę assignent: deinde qua ratione modalis ppositionis diuisę veritas examināda sit. postremo quo pacto oppositio in modalibus diuisis sit efficienda.

Inter modalem compositam atque diuisam (quod nos obiter paulo superius attigimus) primum quidem illud interest, quod in modalibus compositis modus accipitur ut non ē in diuisis ut aduerbiū. vnde etiam aliud dis crimen colligitur inter vtrumque genus pro positionum, quod in modali composita modus est alterum extreum, subiectum inquā aut p̄diciatū, tamē si frequentius subiectum esse soleat. Qua loquendi ratione vtitur frequenter Arist. li. i priorū. v. g. possibile est Socratē disputare, necesse est Deum esse. In modali verò diuisa modus non est integrum extreum, verbi gratia. Socrates pos sibiliter disputat Deus necessario existit.

Deinde differt vtrunq; genus, quod propositiō modalis composita proximè examinatur per propositionem de p̄senti, adempto modo, vt possibile est Socratem disputare, per hanc, Socrates disputat: quod si hęc pos libi-

sibilis sit ; modalis de possibili est vera : si non sit possibilis, modalis est falsa . Simili etiam modo contingit in cæteris, quæ in aliquo alio modo efficiuntur.

Propositio vero modalis diuisa nō semper examinatur proximè atque immediatè, auctoribus Sophistis per propositionem de præsenti constitutam ex eisdem terminis: sed in terdū facta prius expositione termini antecedentis modū. Quia eisdem sophistis auctori bus contingit interdum propositionē modalē diuisam esse veram , cōpositam vero ex eisdem terminis falsam , ver. g. ista propositio possibile est albū esse nigrum , falsa est , quia hēc propositio de presenti , album est nigrum non est possibilis , sed impossibilis potius. at vero ista modalis diuisa album potest esse nigrum , vera ab illis putatur : quia priusquam referatur ad propositionē de præsenti ex terminis eisdem , debet explicari subiectum illud , albū , atq; eius loco cōstitui subiectum cādoris : quod si fiat , redditur ista propositio de presenti possibili , hoc est nigrū : Quare modalis de possibili est etiam vera ut sit sensus Quod modo album est , nigrōre infici potest : Qui quidem sensus verus est , & rationi consentaneus . Hoc itaque interest inter propositio

Liber secundus.

positionem modalem compositam & diuisam. Sed expediamus iam quod secundo loco à nobis propositum est, illud inquam, quo pacto examinare debeamus vera ne, an falsa sit propositio modalis diuisa. Illud igitur perpetuum præceptū sit. Quælibet propositio modalis cōposita duobusmodis explorari potest. Primus est ex habitudine prædicati ad subiectum more cæterarum propositionum de presenti: quarū propositionum ea in qua ponitur modus possibiliter, vera est si prædicatum possit subiecto inesse, verbi gratia, Socrates possibiliter disputat, falsa vero, si non possit prædicatum inesse subiecto, ut Socrates possibiliter est planta. Idem iudicium est de propositionibus in quibus ponitur modus contingenter, quia contingenter in presentia ut dixi, pro possibili usurpatur.

Propositio in qua ponitur modus, necessario vera est, si prædicatū necessario insit subiecto, ut Deus necessario existit, falsa, si non necessario, insit prædicatū subiecto ut Deus necessario creatur. Nam creaturā non inest Deo necessario, sed libere, atque ubi vult.

Propositio in qua ponitur modus impossibiliter vera est quando prædicatum subiecto inesse nullo pacto potest: ut homo impossibili liter

liter creat, falsa vero quando prædicatum potest subiecto inesse, ut homo impossibiliter currit. Hic est primus modus explorandi verane, an falsa sit ppositio modalis diuisa nulla habita ratione ppositionis de præsenti.

Alia etiam ratio est examinandi, utrum vera sit an falsa eiusmodi propositio, per propositionem de præsenti. Nam si sit possibilis propositio de præsenti, modalis de possibili est vera, si non est possibilis, modalis est falsa. Simili etiam modo iudicandum est de modali in qua aliquis cæterorum modorum collatur. Sed queres, quæ propositiones modalis diuisæ debent immedieate referri ad propositionem de præsenti? Ut exploremus, veræ sint, an falsæ propositiones modalis diuisæ. Statuo duo precepta. Primum est, Quotiescumque subiectum est nomen quod explanatione indigeat, quodcūq; illud, sit propositio modalis diuisa non est prius referenda ad propositionem de præsenti quam explicetur nomine illud, aut resoluatur, ut vulgo sophistæ loquuntur. Hoc sit vitadi ambiguitatem gratia, & causa explorandi melius atque expeditius, vera ne sit modalis propositio, an falsa.

Secundum preceptum. Quando subiectum est nomine denominatiuum (Sophistæ connotatiuum

Liber secundus.

tatiuum vocant) explicandum illud est prius quam modalis referatur ad propositionem de praesenti: alioqui ppositio que vera est, falsa efficietur. v.g. Hæc ppositio, album possibiliter est nigrum, ut referatur ad propositionem de presenti debet prius explicari non men album, et accipi subiectum cadoris, hoc pacto hoc potest esse nigrum: & tunc confienda ex illis vocibus est ppositio de presenti: ne illa, hoc est nigrum, que quoniā possibilis est, vera ceteri debet ppositio modalis diuisa

Item. Quādo relatiuum est pars subiecti, subiectum prius explicandum est, quam accipiamus propositionem de presenti. v.g. cū dico Socrates qui est, possibiliter disputat, prius debeo illam implicationem dissoluere atque ita dicere, Socrates est, & potest disputare, quā accipiam propositionem de inesse. Eodem pacto fiet in cæteris propositionibus, quarum subiectum aliqua explanatio eget. si verò nulla indigeat, tunc proximè ex propositione modali confienda est ppositio de presenti, & ferenda de illa sententia est: quod ubi accidit, ppositio modalis composta & diuisa ex eisdem vocibus æquipollent. ut Socrates possibiliter disputat, & possibile est Socratem disputare: Rursum, Deus necesse fatio

fario existit, necesse est Deum existere. Hæc de examine & iudicio propositionum modalium diuisarum dixisse sit satis, reliquum est tādē, ut de oppositione earundē differamus.

In propositionibus modalibus diuisis codē prorsus modo vniuersa oppositio querenda & constituenda est, quomodo constituitur in propositionibus de p̄senti: & quicquid vitiat oppositionem propositionum de p̄senti, vitiat etiam oppositionem propositionum modalium diuisarū. Veruntamen durum rerum potissima ratio habenda est in hiusmodi oppositione efficienda: una est subiectum, altera modus, nam in his propositionibus oppositio debet constitui ratione subiecti atque etiā ratione modi. Quare ut propositiones modales diuisae sint contradictoriæ altera debet esse vniuersalis, altera particularis, & modus in altera particularis erit, in altera vniuersalis, verbi gratia, iste contradicūt omnis homo possibiliter currit, aliquis homo nō possibiliter currit. Iste non, aliquis homo possibiliter currit, aliquis homo non possibiliter currit ratione subiecti, atque iste omnis homo possibiliter currit, aliquis homo possibiliter non currit, ratione modi, qui est in utraque particularis. Ut sint contraria;

vtra-

Liber secundus.

vtraque erit vniuersalis, & modus erit contra-  
rius: vt omnis homo necessario est animal,  
omnis homo necessario non est animal. Aut  
saltem non debet manere in vtraque idē mo-  
dus particularis, vt omnishomo necessario cu-  
rrit, nullus homo necessario currit.

In subcontrariis vltra hoc quod subiectum  
oportet esse indistributū, necessarium est vt  
modus saltem non maneat in vtraque vniuer-  
salis, vt homo possibiliter currit, homo possi-  
biliter non currit.

In subalternis modi debent etiam esse sub  
alterni, hoc est alter erit vniuersalis, alter par-  
ticularis, subiectum quoque vnius distribue-  
tur, alterius verò minimè vt omnis homo ne-  
cessario currit, aliquis homo possibiliter cur-  
rit. Hęc sint satis de modalibꝫ diuisis pręcepis-  
se, cetera enim omnia sunt superuacanea. Ar-  
gumenta præterea quę adduci in præsentia  
a Sophistis cōfuerunt, admodum infrugi-  
fera sunt & potius pertinent ad obrucendum  
tenella ingenia iuuenū, quam ad illa proue-  
hendum longius, rursum magis perterrent  
atque à cognitione artiū liberaliū dimouent  
quam vt vlo pacto prosint. Alendi autē sunt  
iuuenes succo doctrinæ, non strangulādi pra-  
uis opinionibus.

De

**G** De conuersione propositionum modalium. C A P. XII.

**A** Ntequam hinc discedam, placet pauca dicere de conuersione modalium propositionum, quoniam ea non omni ex parte consentiunt cum cæterarum propositionum conuersione: quanquam de hac recum de aliarum propositionum conuersione disputaremus, non nihil diximus.

Propositiones ergo modales diuisæ eadem prorsus ratione, qua cæteræ propositiones categoricæ conuertuntur. Nam propositio universalis negatiua cuiusvis modi simpliciter, aut in seipsum conuertitur. Ut nullus homo possibiliter currit, nullum currens possibiliter est homo: conuertitur etiam in particularem per accidens, ratione, quam diximus pauclo ante. Particularis affirmatiua conuertitur etiam simpliciter, verbi gratia, homo possibiliter currit, currens possibiliter est homo. Universalis affirmatiua per accidens conuertitur in particularē, ut omnis homo potest currere, aliquid quod currit potest esse homo.

Illud tamen diligenter cauendum nobis est quod obseruandum. Neotericus quidam scri

L ptor

Liber secundus.

ptor præcepit, ut modus vniuersalis affirmatiu<sup>9</sup> mutetur in particularem, hoc est, pro necessario, qui est modus vniuersalis assertio, collocetur possibiliter, quando propositionem conuertimus in qua existit modus necessario: quia ratione cum de conuersione aliarum propositionū ageremus præcipimus signum vniuersale affirmans mutandum esse in particolare, omne inquam, in aliquod. Quare hæc propositio, creans necessario est Deus; non debet verti in istam, Deus necessario est creans: sed in hanc, Deus possibiliter est creans, alioqui vna propositio est vera & altera falsa quod pugnat cum natura conuersionis. Hæc enim propositio, creans necessario est Deus, vera est: quia ea significatur, eum cui potentia inest creandi, necessario esse Deum: qui sensus proculdubio verus est, atqui hæc, Deus necessario creat, falsa est, ut appareat. Atque hoc pacto omnis sophistarum calumnia dissoluitur eius opinione.

Quanquam ille modus quem nos excogitauimus, cū de aliarum propositionum conuersione agerem<sup>9</sup>, si obseruetur, utilis erit conuersioni efficiēd<sup>e</sup> eius propositionis, in qua existit modus necessario, ille est ut sensum cundē re-

tineat.

tineamus: atque in utraque modum necessaria  
 rio accommodemus eidem nomini, non di-  
 uerso: ut Deus necessario creat, creans ne-  
 cessario est Deus. Particularis negativa non  
 conuertitur, non n. sequitur, aliquod ani-  
 mal possibiliter non est homo, ergo aliquis  
 homo possibiliter non est animal, est enim  
 antecedens verum & consequens falsum,  
 sed tantum conuertitur per contrapositionē,  
 si quo pacto cōuertitur opinione Sophista-  
 rum. Propositiones vero modales compo-  
 sitæ non conuertuntur ratione modi, sed tan-  
 tum ratione dicti, ut nos Aristoteles docet  
 capit. tertio, libr. primi, de priori reso-  
 lut. Ratione vero dicti conuertuntur om-  
 nes propositiones perinde atque illæ, quæ-  
 uacant modo, exceptis propositionibus de  
 contingenti, de quibus esse aliud iudicium  
 loco citato refert Aristoteles. & explicatur  
 à nobis commentarijs in eum locum. Hęc e-  
 nim propositio, possibile est nullum homi-  
 nem currere. in istam vertitur possibile est  
 nullum currens esse hominem, possibile est  
 aliquę hominē currere, possibile est aliquod  
 currens esse hominē. Particularis negans nō  
 conuertitur, non enim sequitur, possibile est  
 aliquod animal non esse homini/eni ergo pos-  
 sibile

Liber secundus.

fibile est aliquem hominem non esse animal.  
Propositiones de impossibili hoc etiam modo conuertuntur, Impossibile est nullum hominem currere, ergo impossibile est nullum currens esse hominem. Impossibile est aliquem hominem currere, ergo impossibile est aliquid currens esse hominem, impossibile est omnem hominem currere, ergo impossibile est aliquid currens esse hominem,

Particularis negans, non conuertitur, non enim sequitur, impossibile est aliquid animal non esse hominem, ergo impossibile est aliquem hominem non esse animal.

Eadem omnino ratione conuertuntur propositiones, in quibus ponitur modus necesse.

Necesse nullum hominem esse equum: necesse est nullum equum esse hominem. Necesse est aliquem hominem esse equum, necesse est aliquem equum esse hominem.

Necesse est omnem hominem esse equum necesse est aliquem equum esse hominem.

Particularis negativa non conuertitur, non enim sequitur, necesse est aliquid animal non esse hominem, ergo necesse est aliquem hominem non esse animal. Hæc de conuersione modalium propositionum satis sint ut universa de modalibus enunciationibus suscep-

ta à nobis disputatio perfecta atque absolu-  
ta videri possit.

## CAP. XIII.

**G** De hypotheticis propositionibus  
vnuerse.

**D**e propositionum categoricarum oppo-  
sitione, & quipollētia, & conuersione mul-  
ta à nobis disputata sunt. Reliquum est,  
ut de hypotheticis differamus.

Primum verò de hypotheticis in commu-  
ne differamus: deinde de singulis partibus.

**Q**ua in re modū obseruare laborabimus, quo-  
niā Sophistæ hac parte magnopere pecca-  
uerunt, cum modum in disputando de hypo-  
theticis nullum seruarint. Propositio igitur  
hypothetica, quod obiter etiam prima parte  
terminorum attigit, illa est, in qua plures  
propositiones categoricæ, vel orationes alia  
media coniunctione iunguntur.

Dicitur autem hypothetica propositio à  
verbo græco hypothitimi, quod significat su-  
pponere. Quare hypothetica propositio idē  
omnino est, quod conditionalis, si considere-  
mus vim vocis. Verum transfertur nomine spe

## Liber secundus

ciei ad genus, quoniam potissima species hypotheticarum propositionū est cōditionalis.

Triplex autem potissimū species est propositionum hypotheticarum, conditionalis, copulatiua, disiunctiuia. Conditionalis est in qua media cōiunctione, si, duæ ppositiones vel alię due orationes iunguntur, verbi gratia, si currit mouetur, si sol lucerit dies esset. Hoc autē solum accommodari potest hypotheticis cōditionib⁹, quia neq; copulatiua, neque disiunctiuia consistere potest orationib⁹ que propositiones non sint. atque hoc sane ex diuersa natura coniunctionum ortum habet.

Copulatiua est in qua coniunguntur plures propositiones categoricæ media coniunctio ne, & , vt Deus omnia nouit , & omnium rerū curam gerit.

Disiunctiuia est in qua iunguntur plures propositiones media coniunctione disiunctiuia, ut aut dic aut accipe calcem.

Animaduertendum tamen est, quod propositiones hypotheticæ non habent quantitatē. ratio est quia quantitas propositionū ex subiecto sumitur, vt diximus prima parte termi norum, sed in propositionibus hypotheticis nulla habetur ratio subiecti, ergo propositiones hypotheticæ non habent quantitatem.

Ex

Ex hoc infero, quod in hypotheticis non reperitur oppositiocontraria neque subcōtraria. ratio est, quia oppositio contraria & subcontraria sumuntur ex quantitate subiecti. Cōtrarię enim ppositiones vniuersales sunt, ut diximus, subcontrarię autem particulares. atqui in hypotheticis qualitas non est, ergo in hypotheticis non est oppositio contraria, neque subcōtraria,

Quāquam autem duę illae oppositiones in hypotheticis non reperiantur, reperitur sancē oppositio contradictoria, ratio est, quia contradictoria oppositio est secundum qualitatem, hoc est secundum affirmationem & negationem, & in hypotheticis qualitas inest hoc est affirmatio & negatio, ergo in hypotheticis est oppositio contradictoria.

Queret aliquis, quo pacto qualitas hoc est affirmatio & negatio in hypotheticis propositionibus consideretur. Nos sic interroganti respondemus, non sāmi ex affirmatione partium hypotheticę, id est, categoriarum propositionū, ex quibus efficitur, sed duntaxat ex affirmatione aut negatione coniunctionis. Quod enim est in categoricis verbū p̄cipuū, est in hypotheticis cōiunctio, est enim cōiun-

Etio forma in propositione hypothetica. Ut autem verbum in categorica propositione affirmans aut negans constituit qualitatem propositionis categoricæ, sic etiam coniunctio constituit affirmationem, aut negationem in hypotheticis. Nam categoricæ propositiones vicem materiae sortiuntur in hypotheticis; quem admodum subiectum & prædicatum in categoricis, Hęc enim propositio affirmativa est, si animal non est, homo non est, etiam si utraque categorica propositio quæ constat condicionalis, negetur: quia coniunctio, etiosi, asserit. Hęc vero, non si animal est, homo est, negatiua censetur, quia coniunctio, si negatur.

Ex quibus plane etiam colligitur, negationem in propositionibus hypotheticis non negare categoricas, sed duntaxat coniunctionem. Utraque enim pars huius conditionalis, non si animal est, homo est, asserit: ratio est vulga ta loquendi forma. Verum aduersus ea, quæ haec tenus diffinita à nobis sunt, sic obijcio.

Primum quidem videtur hoc esse falsum, Nam opinione dialecticorū, negatio est malignantis naturæ, & quicquid post se inuenit destruit, quare cōstituit partes hypotheticarum propositionū negatiuas. Non sunt ergo, ut dictū

dictū est, affirmatiuæ partes huius cōditionis: non si animal est, homo est. dicendum ad hoc est, negationem tantum destruere quod est eius obiectū (ita enim Sophistæ loquuntur) atqui in hypoteticis obiectum est coniunctio. illam ergo destruit negatio: non categoricas propositiones, in categoricis vero omnia destruit, quia vniuersæ categoricæ propositioni negatio additur, non copulæ tantum.

Secūdo sic obijcio, Plures sunt species propositionum hypotheticarum, quam enumerae à nobis, ergo falsum illud est tres tantū esse earum species. Probo id, quoniam præter tres illas, quas diximus species, est etiam rationalis, in qua coniunguntur plures categoricæ propositiones per coniunctionem rationalem, ut currit ergo mouetur, præterea causalis: ut quia currit mouetur. Dicēdum ad id est, potissimum esse tres species hypothetica rum propositionum, in eo vero si Boetio atq; nomini propositionis hypotheticæ fidem habeamus, una dūtaxat species est, nempe cōditionalis. Rationalis vero & causalis referuntur ad conditionale. Ad copulatiuam vero referuntur quædam alia propositionum genera, de quibus dicemus, quo tempore disserimus de copulatiua propositione.

Liber secundus.

Tertio sic obijcio, Propositiones hypotheticæ opponuntur interdum contrarie, et subcōtrarie, ratione partium, hoc est categoricarū propositionum quibus efficiuntur, constātq; ergo falsum est quod nos paulo superius difiniuimus, solam spectari contradictoriā oppositionem in hypotheticis.

Dicendum nobis est, neque per se, neque partiū ratiōe hypotheticas propositiones cōtrarie aut subcontrarie, opponi posse. Nam si quæ propositiones hypotheticæ ratione assignata, contrarie opponerentur, maximè hę si omnis homo est animal rationale, omnis homo est capax disciplinæ, si nullus homo est à nimal rationale, nullus homo est capax disciplinæ. Atqui utraque vera sanc est, quare nō sunt propositiones contrarie. Idem de subcōtrarijs iudicium est.

*¶ De propositione conditionali:*

*CAP. XIII.*

**H**ucusque de hypotheticis ppositionib<sup>z</sup> in communie disseruimus, nūc ad explicandas singulas partes referamus orationem & primū de cōditionali agamus, quæ potissi-

tissima pars est hypotheticarum propositionum de qua illud maximè dicemus , quid sit & qua ratione cognoscere debeamus vera ne, an falsa sit.

Propositio igitur conditionalis est propositio, in qua coniunctio si , antecedit: ut Si currit mouetur . Si disputat , loquitur : Si est homo , animal est . Pars autem quæ proximè coniuncta est coniunctioni , antecedens vocatur.altera vero pars vocatur consequens.

Quoniam vero propositio conditionalis est duplex:vna vera,altera falsa : quid utraque sit,dicamus iam. Ad id explicandum repetē dum illud est,quod obiter admonuimus cap. proximo,conditionalem inquam propositio nem esse duplē,vnam quæ asserit , alterā quæ negat.

Propositio conditionalis quæ affirmat, vera est quādo ex antecedenti consequens legi timè colligitur,verbi gratia,hec est vera propositio,si currit mouetur. Negatiua vera est, si non recte inferatur consequens ex antecedenti,ut non si mouetur,currit:falsa vero censetur illa propositio conditionalis asserens cuius consequens nō recte colligitur ex antecedenti,verbi gratia,si mouetur currit. Negans

Liber secundus.

vero propositio falsa est. cuius consequens re  
etē colligitur ex antecedenti: ut non si currit  
mouetur.

Vt autem vera sit conditionalis non satis  
est, vtranque eius partem esse veram, si nō se  
quatur ex antecedenti consequens. Neq; fal  
sa putari ea debet, cuius vtraque pars falsa sic  
modo consequutio sit legitima, Nam hēc pro  
positio, si lignum est homo, lignū est animal  
vera est. & eius sāne pars vtraque plane atq;  
aperte est falsa Vnde vulgatū illud Sophista  
rum dictum ortum est, conditionalis nil po  
nit inessc: hoc est, nil afferit, statuit nihil, sed  
duntaxat consequentiā significat vnius par  
tis ex altera.

Ad conditionalem referuntur propositio  
causalis & rationalis. Quia vtraque conse  
quentia est.

Rationalis illa est, cuius partes rationali cō  
iunctione iunguntur vt currit, ergo mouetur.  
Causalī cuius partes iunguntur coniunctio  
ne causalī, vt quia currit, mouetur. Veruntā  
men non perinde in his verum & falsum cer  
nitur atque in conditionali propositione, Nā  
vt propositio rationalis vera sit, necessarium  
est consequentiam legitimam esse: & vtran  
que eius partem veram antecedēs dico & cō  
sequens

sequens, ut homo est, ergo anima est. At vero ut sit causalis, ppositio vera, ex antecedenti oportet consequens inferri: in super necessitate est verum utrumque esse: & antecedens causam esse consequentis: ut quia homo est rationalis, capax est disciplinæ. Hęc enim proposicio falsa censetur, quia homo est ad iudicandum aptus, est capax disciplinæ, tametsi consequentia legitima sit: & eius utraque pars vera, unā tantum ob causam, quod antecedens non sit causa consequentis.

Colligitur ex dictis à nobis paulo superius conditionalem veram esse necessariā: & falsam, esse impossibilem: ratio est, quia cum vera sit conditionalis quia est consequentia legitima, & consequentia bona perpetuo bona sit opinione Dialecticorum, que vera est conditionalis, est etiam necessaria, & cum sit falsa conditionalis, quia male colligitur ex antecedenti consequens, & consequentia semel mala perpetuo vitiosa sit, efficitur, ut falsa conditionalis sit impossibilis.

Sophistę arrepta occasione ex finitione propositionis conditionalis hoc loco longam rationem de consequentia habere solent temere, & nulla ratione, ut solent illi de ceteris rebus disputare: sed nihil mirum est, cum sit illud

Liber secundus.

Illud peculiare Sophistarum , omnia per-  
miscere , & nihil suo loco,& tempore dicere  
non sine magno Pudicorum malo . Quare  
cauendi hijs nobis sunt , cane peius & angue,  
nisi vclimus magno labore discere , labi , de-  
cipi atque errare . Horum ergo peruersa cō-  
suetudine disputandi prætermissa , de con-  
sequentia , ne vnum quidem verbum in p̄c  
sentia dicam : quod enim satis erat , dictum  
est à nobis prima parte terminorum : cæte-  
ra dicemus , quo tempore de sylllogismis disce-  
remus.

In p̄fentia uero modum peculiarē argu-  
mentandi in conditionalibus explicabo duo  
bus præceptis , tamen si de ea re agendum sit  
in sylllogismis , ut morem geram veteri con-  
suetudini : vnum est , valet consequentia à cō  
ditionali cum positione antecedentis ad po-  
sitionem consequentis , verbi gratia , si currit  
mouetur , at currit ergo mouetur , Non valet  
tamen cum positione consequentis ad posi-  
tionem antecedētis , verbi gratia , si currit mo-  
uetur , at mouetur , ergo currit .

Secundum præceptum , valet consequentia  
à conditionali cum destructione consequen-  
tis ad destructionem antecedentis . verbi gra-  
tia , si currit mouetur , at nō mouetur , ergo nō  
cur-

currit. Non valet consequentia à conditiona-  
li cum destruktione antecedentis, ad destruc-  
tionem consequentis, verbi gratia, si currit  
mouetur, non currit ergo non mouetur.

Destruere antecedens, vel consequens est  
ponere oppositum eius.

Hæc sunt præcepta disputandi in conditio-  
nibus petita ab Aristotele . lib . i . de priori  
resolutione.

### *¶ De copulatiis. CAP. XV.*

**V**T quod dicturi sumus de propositioni-  
bus copulatiis facilius percipi possit,  
initio considerandum est, coniunctionē  
& duobus modis accipi, atque usurpari sole-  
re: quod obiter à nobis alio etiam loco dictū  
est. Accipitur copulatiū & copulatim. Co-  
pulatiue, cum coniungit varias enuntiatio-  
nes, verbi gratia , cum dice , Deus omnia no-  
uit, & rerum omnium curam gerit . Copula-  
tim vero, cùm iungit terminos , non propo-  
sitiones, ut Petrus & Ioannes . Præterea, cū  
accipitur copulatim duabus ad huc modis di-  
citur: complexiuē aiūt Sophistæ & diuisiuē,  
cōplexiuē accipitur, &c, quando cōficit cat-  
gori-

Liber secundus.

goricam, aut simplicem enuntiationem, verbi gratia, cum ita loquimur, Socrates, & Plato fuerūt summi philosophi, diuisive, quādo copulat voces tantum, & constituit hypotheticam propositionem, ut Socrates & Plato fuit philosophus.

Ex his aperite constat, primum genus propositionum in quibus, & collocatur, esse simpliciter atque absolute hypotheticum, & copulatum, tertium autem non simpliciter, sed virtute, quoniam ex ea enuntiatione positio efficitur copulativa. Secundum verò genus categoricum est non hypotheticum. Sed iam exhibeamus diffinitionem propositionis copulatię,

Copulativa propositione est, in qua iunguntur plures propositiones media coniunctione & inqua sane diffinitione quedam voces collocantur, quas explicare necesse sit, ut proposita definitio reddatur illustrior.

Primum quidem in definitione dixi hypotheticam propositionem esse, quae pluribus constat enuntiationibus, non duabus tantum, ut quidam putauerunt, sed interdum pluribus quam duabus: ut cum ita loquor. Socrates doceat, & Plato audit, atque uterque vir est magno ingenio.

Rur

Rursum simpliciter dixi copulatiuā propositionem constare pluribus enuntiationibus, ut completeret omne genus copulatiuarum propositionum. Quędam enim efficiuntur, atque constat categoricis enūtiationibus, velut hęc, Socrates legit Plato audit: alia vero hypotheticis, vñ si Socrates legit, Plato audit & si Plato audit Socratem legentem audit.

Verum quod dictum est copulatiuam constare pluribus enuntiationibus: accipiēdum est à nobis actione, aut potestate: actione quidem vt in exemplis adductis aparet; potestate vero aut virtute, vt cum &c, in propositione diuisive accipitur: tunc enim ea propositio potestate constat pluribus categoricis, ad quas refertur, nō actione: vt cum inter disputantes conuenit ut clementū, A, verbi gra. tantumdem significet, quantum vna hypothetica propositio. Verum vt coniunctio &, constituit propositionem copulatiuam, sic etiam coniunctio, atque, et ceterę coniunctiones habentes vim copulandi, maxime vero vñius coiunctione, & quoniam familiarior, atq; etiam promptior est eius significatio.

Sed iam tempus est, vt doceamus, quo pāto explorandum à nobis sit, vera nc, an falsa sit propositio copulatiua. Et quoniam, &, vñ

M admo-

Liber secundus.

admonui, trifariam usurpatur, pro comperto habendum est, quod ea propositio in qua existit coniunctio, & complexiue, examinanda est more propositionum categoricarum. est enim ipsa categorica, ut dixi. Illa vero propositio in qua existit coniunctio, & diuisiue, exploratur facta reductione ad propositionem copulatiuam, quod si ea propositio ad quam refertur, vera sit, erit hec similiter vera: si falsa, falsa erit.

Propositio vero copulatiua aut afferit: aut negat. si afferat vera est ubi vtraque eius pars est vera, ut Deus premio afficit probos & castigat improbos, falsa est, si altera pars falsa sit, ut Deus, castigat improbos, et non afficit præmiis probos atque virtute præditos: si vero neget vera est quando altera tantum eius pars est vera, v.g. cum dico non est homo animal & Deus mendax, cuius ille sensus est, non esse utrumque illud verum, homo est animal, & Deus mendax est, est autem falsa ea propositio quando vtraque pars vera est, opponitur enim propositio veræ quae affirmat. Ut sit propositio copulatiua possibilis, non satis est ut sit eius vtraque pars possibilis, sed præterea necessariū est, ut simul due illę partes posint esse verę vulgo dicitur quod due illę partes

tes sint cōpossibiles, v. g. hæc est possibilis, An tichristus erit, & multos seducet, quoniā huic propositioni duo illa insunt, quæ dixi. ista ve ro propositio, omnis homo est iustus, & ali quis homo non est iustus, possibilis sanè non est, tametsi duabus partibus constet, quarum utraque vera esse potest, ratio est, quoniam simul veræ esse non possunt duæ illæ partes copulatiuæ propositionis; sunt enim contra dictorię, quas simul esse veras impossibile est Quare impossibilis censeri debet ea propositio copulatiua, cuius aliqua pars impossibili est. vt homo est equus, & Deus est, vel cuius partes simul ueræ esse non possunt, vt ad hibito paulo ante exēplo monstratū est. Necessaria est illa copulatiua, cui⁹ utraq; pars necessaria est, vt De⁹ omnia nouit atque om niū curam gerit. erit nō necessaria ubi utraq; eius pars necessaria non est, vel altera.

Ad propositiones copulatiuas referuntur propositiones temporales & locales, atque etiam illæ propositiones, quæ ad uerbio cōstat similitudinis, ratio est, quia commemorat à nobis propositiones ubi obscuræ sunt, per copulatiuas explanari consueuerunt. vt quādo homo petit, Deus hominem exaudit. & ubi fuerint duo congregati in nomine meo, ibi

sum in medio eorum. Hæc est communis sententia Sophistarum. Mihi vero illud probatur magis, utrumque predictum genus propositionum pertinere ad conditionales propositiones non ad copulatiuas. Sensus enim propositionis prioris non est ille (ut vulgo puratur) aliquando homo petit, & tunc cum exaudit Deus, neque posterioris ille, in aliquo loco duo vel tres congregentur in nomine Dei & tunc Deus adest medius eorum. sed ille potius est sensus prioris, si homo petat à Deo aliquid, Deus illum exaudit: posterioris ille, si duo vel tres congregentur in nomine domini, ibi adest Deus.

Quamquam autem de ratione colligendi unum ex altero copulatiue dicendum nobis est, quo loco sumus de syllogismis hypotheticis disputaturi, placet hoc loco id ipsum leviter attingere, quod fecimus etiam, cum de propositione conditionali ageremus. Duobus igitur modis argumentari licet copulatiue: primum quidem à tota copulativa ad utrūque eius partem, ut Deus præmisit afficit probos, & castigat improbos, ergo deus castigat improbos. Ratio est ut dixi, quia proprieas copulativa vera utrūque partem veram habet. Deinde etiam licet argumentari ex copulativa negatiua

tiua, cum positione vnius partis, & destruere  
partem alteram, verbi g, non dies est, & nox  
est, sed dies est, ergo nox nō est, vel nox est, er-  
go dies non est. Huius rei ratio est, quia cum  
propositio copulativa negativa significet v-  
tranque partem, qua constat, veram non es-  
se, sed alteram: qui vnam partem statuit ve-  
ram, credit esse falsam alteram.

Verum aduersus ea quæ à nobis dicta sunt,  
presertim quod diximus paulo superius, pro-  
positionem in qua existit cōiunctio, & com-  
plexiūc, categoricam esse, & explorare opor-  
tere, vera ne, an falsa sit, ex habitudine quam  
habet prædicatum cum subiecto, sic obijcio: si  
id verum esset, consequeretur veram prorsus  
enuntiationem, falsam effici: hæc enim eun-  
ciatio. Petrus & Ioannes portant lapidē, ve-  
ra profecto est, si duo commemorati lapidem  
simul ferant, quæ singuli nō sint ferendo satis  
atqui falsa illa redditur si ratione prædicta e-  
xaminetur: nā recte sequitur Petrus & Ioan-  
nes portant lapidē ergo Petrus portat lapidē  
& Ioānes portat lapidē, cōsequens est falsum  
quia neuter portat lapidē, sed vtriq; ergo &  
antecedēs. Cōsequētia vero pbatur, quia præ-  
dicatū in antecedēti vtrique inest ergo & in  
consequēti. dicendum est propositionem ve-

Liber secundus.

ram esse ex hypothesi: consequētia vero vi-  
tiosa est, quoniam peccat fallacia divisionis  
diuide enim falso, quod vere in antecedenti  
cōpositū fuerat. Sophistēā rationē reddunt,  
cur consequentia legitimā non sit, quod argu-  
mentemur à propositione in qua cōiunctio  
& sumitur complexiuē ad propositionē, in  
qua diuisiūe usurpatur. Ad normām hui⁹ po-  
teris exiguo negotio multa alia diluere quæ  
Sophistis solēt ingens negotiū facessere. Ut  
enim p̄dicta propositione vera est seruata hy-  
pothesi, quā posuimus, ita etiam hæc Gaspar  
& Bernardus norunt septem artes liberales,  
vbi Gaspar norit Grammaticam. Rethoricā  
& dialecticam. Bernardus tantum quatuor  
mathematicas disciplinas: Geometriā Arith-  
meticā, Perspectivam, Musicam. Quamvis  
autem p̄dictae propositiones v̄re sint, hæc  
sane falsa est, quæ videtur cum duabus priori  
b⁹ maximā habere similitudinem, Gaspar &  
Bernard⁹ norunt Dialecticam, si cōstet hæc  
facultas octo, v.g. conclusionibus, quarū qua-  
tuor tantum norit Gaspar, totidem Bernar-  
d⁹, quoniā si illi noscent Dialecticā essent dia-  
lectici, at qui non sunt dialectici, quare nec;  
dialecticā norūt. Illud autē versatūt interv-  
trāq; p̄positionē discrimen, cui⁹ gratia prior  
vera

vera est, posterior falsa, quod in priori predicatum est pluralis numeri, atq; una ei pars accommodari potest vni parti subiecti alia alteri parti, posterioris vero predicatum est numeri singularis: & unā rē, atq; individuā significat: quare vere non potest eius una pars vni parti subiecti accommodari, alia alteri.

De copulatiis vero hæc dixisse sit satis, iam ad explanandā naturam disiunctiū ppositionis nostra vertatur oratio.

### *¶ De disiunctiis. CAP. XVI.*

**D**E disiunctiis propositionib⁹ codē prorsus modo differendum est, quomodo de copulatiis, & conditionalibus est disputatum. Principio considerandū est coniunctiō nem vel, duobus modis usurpari à Dialecticis solere, uno modo disiunctiū, alio modo disiunctim: accipitur disiunctiū, quādo disiungit ppositiones, ut aut dic aut accipe calcem aut te ardenter amat, aut te capitaliter odit: quod de muliere dicitur.

Disiunctim accipitur, quādo collocatur inter voces, non inter propositiones, ut vel Aristoteles vel Plato errat, cū mudi origo inquiritur. Sed quādo disiunctim usurpatur, vel, interdū diuisiū accipitur, interdum cōplexiū, lo-

Liber secundus.

quimur enim more Sophistarum diuisiuè ac  
cipitur quando refertur ad disiunctiuam pro  
positionem, & tunc virtute est hypothetica  
ea enunciatio, in qua exsistit coniunctio, vel.  
complexiuè vero quando fit categorica, &  
more cæterarum categoriarum enunciatio-  
num exploramus, vera ne, an falsa sit, nempe  
ex habitudine prædictati ad subiectum.

Propositio igitur disiunctiuia siue coniunc-  
tio, vel accipitur disiunctiuè, siue disiunctum,  
diuisiuè tamen (utriusque enim idem iudicium  
omnino est) ea est in qua iunguntur plures pro-  
positiones media coniunctione, vel, ut ad-  
hibitis paulo superi<sup>o</sup> exemplis constare possit.

Cum dico plures iungi categoricas pro-  
positiones in disiunctiuia in media coniunctione,  
vel, intelligo nomine, vel, cæteras omnes con-  
iunctiones disiunctiuas.

Rursum cum dico constare disiunctiuam  
propositionem pluribus categoricis intelli-  
go aetione, aut potestate, quod sophistæ di-  
cunt (barbare tamē ut cætera) formaliter, vel  
virtualiter. Primum conuenit priori generi  
disiunctuarū ppositionū, secundū vero poste-  
riori. Iam tempus est, ut rationem doccamus  
cognoscendi, propositio disiunctiuia vera ne,  
an falsa sit, Existit autem hoc loco quæstio,

qua nam re opus sit, ut propositio disiunctiua  
vera sit. In qua quæstione explicada recetio  
res, id est Sophistæ, multum a veteribus dis-  
crepant. Sophistæ enim in ea sunt opinione  
ut credant præcipiantq; necessarium esse, ut  
sit vera propositio disiunctiua, vnam tantum  
eius partem esse veram, & hoc esse satis: præ-  
terea, nihil obstat quominus vera illa pro-  
positio sit, si constet vtraq; parte vera, vnde  
vulgatum illud Sophistarum dictu ortu ha-  
buit, disiunctiua in sequitur fortiorē partē,  
est enim opinione eorum vera si vel vtraque  
vel altera eius pars sit vera: falsa si vtraq; pars  
falsa sit. copulatiua vero sequitur partem de-  
biliorem: efficitur enim falsa altera tantum  
eius parte existente falsa. Verū istorum sen-  
tentia mihi non probatur, quam ego infringi  
go primum testimonio omnium antiquorū  
præsentim Aristο. in lib. Primorū, quo loco  
de hypotheticis syllogismis differit. Deinde  
ex appellatione cōiunctionis. vocatur enim  
coniunctio disiunctiua ab officio, quia partes  
separat, atq; disiungit inter se veritate & fal-  
sitate, quare non permittit vtranque partem  
veram esse, sed alteram tātum. Deinde quia  
veteres homines nō dialecticimodo, sed etiā  
philosophi, non vtuntur disiunctiua proposi-

tione nisi inter pugnantia, at qui ea quæ pugnant, vera simul esse non possunt: quare disiunctiue propositionis verè partē vtrāq; ei se verā cōtra rationē quidē est: illa enim propositio ex pugnātib⁹ efficitur, vt aut amat, aut odit mulier nihil est tertium: aut dies est, aut nox. Dicam⁹ ergo, opiniōe antiquorū hominū atq; etiam cōmuni usū loquēdi persuasi, propositionē disiunctiua verā esse, si alterutra tātum ei⁹ pars vera sit, illā vero antiqui homines perpetuo efficiebant duabus coniunctiōnibus disiunctiuis, vt adducta à nobis exēpla demonstrāt. Persimili modo efficiebāt copula tūa, ppositionē, vt Cicero & Orator fuit, & vir bon⁹. Si ergo ppositio disiunctiua solū vera est cui⁹ altera pars est vera, falsa illa erit cu i⁹ vtraq; pars falsa est, vt vel De⁹ non est, vel mūdus pudentia non regitur. vel cuius est vtraque pars vera, vt, aut homo est, aut capax disciplinę.

Referamus iam orationem ad modū argumētandi à propositione disiunctiua, quāquā de hac re sit à nobis dicēdum in syllogisnis.

Duo igitur sunt modi argumētandi in disiunctiuis: unus est à disiunctiua affirmatiua cū positione partis vni⁹ ad cōtradictoriā alteri⁹. v.g. aut amat, aut odit mulier, atqui a-

mat,

mat, ergo non odit, vel odit, ergo non amat, aut dies est, aut nox at dies est, ergo non est nox: Alter modus est à disiunctiua affirmatiua cum destructione vnius partis ad positionem alterius, vt, aut sanus est, aut æger atqui sanus nō est, ergo, æger: aut Christus falsa docuit, aut, mundus errat, atqui Christus falsa docere non potuit, qui veritas ipsa est, mundus ergo errat, cum viuit aliter, quam Christus nos docuit esse viuendum. Vtraque vero commemorata differendi ratio ex eo vim habet, quod est à nobis diffinitum superius ex sententia antiquorum, disiunctiua, inquam, propositionem debere ex pugnantibus inuicem constare, neque posse veram esse, si vtraque pars existat vera, alioqui tantum valeret ratio argumentandi in disiunctiuis, à disiunctiua cum destructione vnius partis, ad positionem alterius.

Hæc nobis visum est de ppositionibus hypotheticis disputare, quoniā nō nihil emolumenti afferūt ceteris quæ dicturi sum⁹ intelligēdis. Quæ vero preter hæc Sophistæ tractauerūt, consulto pr̄termisimus, ne lectorē ad alia pperant̄ moraremur. pr̄terea etiā ne argumentorū mole, copia pr̄ceptorū, inepta repetitiōe, & lōgiori quam par sit disputatio-

ne

ne, atque ea admodum difficili perterreat  
mus cupidum dialecticæ. Istorum vero non  
minimam: partem ea tantum causa scri-  
bimus, ut morosis quibusdam  
imperit regnare, ne placeamus.

(?.)

autem coniunctionis ratione isto eo  
similares esse possunt. Et ludo,  
quod est ex remissione debet esse  
ex proportionatione, dicitur. Quia  
poker ex remissione debet esse  
ex proportionatione, quia, nam, poker  
est ludus, et remissio est ex parte  
ludorum, et ex parte remissione  
est ex parte poker. Et hoc est  
conveniens esse, quia in poker  
est remissio, et in ludo est poker.  
Hoc ideo etiam in ludo possunt  
tunc sicut in poker, etiamque  
in poker sicut in ludo, etiamque  
in poker sicut in poker. Et hoc  
est conveniens esse, quia in poker  
est poker, et in poker est poker.  
Et hoc est conveniens esse, quia in poker  
est poker, et in poker est poker.

# LIBERTER, TIVS DE EXPONI bilibus.



Ter Sophistarum consuetudine  
hac etiam parte, quæ exiguum  
sane attulerit emolumentū stu-  
diosis dialecticæ, aliquo modo  
imitemur, est animus de enūta-  
tionibus, quas illi exponibiles appellant, cui-  
sim non nihil dicere. Scimus enim, etiam co-  
rundem opinione, aliqua ratione superuaca  
neum esse laborem, qui huic contemplationi  
impeditur: sed nos etati seruinius, & cupim⁹  
relegare ex gymnasij dialecticorum longa  
de hoc genere enunciationum, atque admo-  
duim perplexa, & sine fructu vlo conimenta-  
ria. De ea igitur re pauci dicturi sumus. Pri-  
mum quid sit propositio exponibilis, dein-  
de quot genera sint exponibilium propositio-  
num: postremo de singulis differemus.

Exponibilis ergo propositio illa sit, quæ obf-  
cura est, atque difficilis gratia alicuius vocis.  
Dixi gratia alicuius vocis, quoniam inter-  
dum

## Liber secundus

dum obscurata redditur propositio, causa cōiūctionis, aut adverbij, interdum vero gratia nominis, aut verbi ut suo loco & tempore dicimus. Quia etiam in voce differt propositio exponibilis, de qua in praesentia disputamus, ab alijs enuntiationibus, quę obscuræ sunt, atque impeditæ vel amphibologiæ causa, vel quacunque alia ratione, scimus enim multis nominibus applicari, atque etiam effici sole re propositio cui difficultem.

Huic subiecta est altera ppositio, per quam ea quam diximus, explicatur, quam exponētem sophistæ passim appellant. Istud vero genus enūtiationū exponibiliū categoricū est, nō hypotheticū, ut ex enūciādi ratione constare cuini posse, tametsi interdūper plures enūtiationes explicetur. Quoniam vero ppositio exponibilis, atq; ea per quam eius sensus explicatur pares sunt, & virtute æquales, cōsequentia legitima est ab exponibili ad exponentē propositionem, atque etiam mutata ratione ab exponente ad exponibilem: quare si quis alias, hic erit maximus usus, quem nos ex cognitione harum propositionum possimus capere.

Sed dicamus iā quot sint genera exponibiliū enūtiationū, quę vulgo feruntur. Petrus Hispa

Hispanus, atque hunc cundem sequuta turba Summulistarum, septem tradidit genera carum enuntiationum. Primum genus est exclusuarum. Secundum exceptuarum. Tertium, reduplicatiuarum. Quartum carū, in quibus inest verbum differt. Quintum carum, quę constat his verbis iticipit, aut desinit. Sextum carū, in quibus ponitur nomen comparatiuum aut superlatiuū. Ultimū carum in quib⁹ existit nomen aliud infinitum. Veriuntainē non defuerunt inter scriptores Summularū qui dicerent, atque id magnis rationibus, & argumentis certū efficere niterētur, propositionem quamvis vniuersalem, nō modo exponi posse, sed necessario etiam exponi debere. Quare hanc enūciationē, omnis homo est animal, aiebant hi, per duas istas enunciationes exponi, homo est animal, & nullus homo est homo quin ille sit animal. alij vero perditioris fortasse iudicij, & mētis minus sanæ, quandam aliā rationem excogitauerūt exponendi hoc genus enuntiationum, non parum quidem dissidentem à superiori quam ob eam tantum causam non attingam hoc loco, ne eorum in sania illustrior fiat. Iterū tamē authorū sententiā nullo negotio refellitur duob⁹ documētis Sophistarū, unū est,

pro-

propositio cuius sensus apertus est, & de qua facile ferri iudicium possit, vera ne an falsa sit non debet vlo pacto exponi, neque exponibilis censetur. Alterum est, propositiones quibus exponimus apertiores & planiores esse debent propositione exponibili ratio est, quia ea gratia illis utimur, vt obscuram enunciationem agnoscamus, quod non facile, imo vero non omnino consequetur, si obscuriores erunt enunciationes quibus exponimus propositione exponibili.

Cum ergo quæ dicuntur omnia de propositionibus exponilibus, ad hæc duo præcepta referri, atque perpendi debeat, obscurum non est, propositionem vniuersalem exponi non oportere, cum non sit obscura ratione signi quo subiectum eius affectum est, et si obscura esset, alia commodior ratio explorandi vera ne an falsa sit suppetit nobis, nempe ex habitudine prædicati ad subiectum, aut ascensu, vel descensu.

Deinde plane constat, etiam si exponibilis sit, non posse exponi ratione assignata ab his, quoniam propositio quæ illam exponeret, esset obscurior logiq; impeditior propositione exponibili. Missam ergo faciamus istam insaniam, & credamus istud genus enunciationis

ciationum exponi non debere, neque posse,  
& referamus ad cætera genera sermonem: in  
primisque de enuntiationibus exclusiuis dis-  
seramus.

*¶ De exclusiuis .CAP. II.*

P Rimum omnium occurrit nobis proposi-  
tio exclusiua: quæ ita vocatur quoniam ef-  
ficitur coniunctione exclusiua, v. g. tantū  
solum, & similibus.

Ista vero coniunctio exclusiua, tantum, at  
que similes, aut adficit extremum, aut propo-  
sitionem integrā: si extremum afficiat, vo-  
catur à sophistis propositio illa in qua existit  
de excluso extremo, vt Socrates tantū fuit  
moralis Philosophus, quando autem integrā  
afficit enuntiationem, vocatur propositio ex-  
clusiua, vt tantum homo est risibilis.

Rursus vtravis ratione accipiatur coniun-  
ctio duobus modis potest excludere, gratia  
videlicet differētiæ, vulgo dicitur gratia alic-  
tatis, vt constat adductis exemplis, aut gra-  
tia pluralitatis, vt cum ita loquimur, tantum  
quinque sunt Porphyrii voces: tātum decem  
sunt prædicamenta Aristotelis. diuerso au-  
tem modo explicari debent enuntiations,  
cum hac quam cum illa ratione accipitur cō-

N iun-

Liber tertius.

iunctio exclusiva: quacumque vero ratione v-  
surpetur coniunctio, confici potest quadruplex genus propositionum exclusuarum. pri-  
mū est earum quæ omnino affirmant, ut tan-  
tū homo est iustus. Alterum earum quarum cō  
iunctio, quæ modus vocatur, atq; etiam inte-  
gra propositio negatione afficiuntur, ut non  
tantum homo est iustus. tertium earum, in qui-  
bus modus non afficitur negatione, ut affici-  
tur verbum, ut tantum accidens non est sub-  
stantia. postremum earum in quibus nega-  
tione modus afficitur, nō verbū, ut non tantū  
accidēs nō est substātia. His igitur quatuor  
modis adfici potest propositio exclusiva, qui  
cū sint inter se diuersi, diuerso etiā modo ex-  
poni, ppositio debet. sed dicamus quo nam  
modo hoc fieri debeat. Primum itaq; genus  
exclusuarum propositionum, cuiusmodi est  
tantum homo est animal, sic exponitur, ni-  
hil aliud ab homine est animal.

Secundū genus verbi gratia, nō tantū ho-  
mo est animal, hac ratione, aliquid aliud ab  
homine est animal.

Illud vero genus exclusuarū enunciatio-  
num, tantū homo non est animal, hoc paēto,  
omne aliud ab homine est animal.

Postremo istud genus propositionis exclu-  
siuæ

siuæ, non tantum homo non est animal, hcc modo, aliquid ab homine nō est animal. Neque enim necessarium est semper accipere duas propositiones, & per easdem explanare propositionem exclusiua, quod faciunt Sophistæ, tametsi interdum fieri debeat, tūc sci licet cum coniunctio tantum, excludit gratia pluralitatis (ut vulgo loquuntur) ut cum dicimus tantum quinque sunt Porphyrij voces, explanatur enim huiusmodi propositio per duas has, quinque sunt Porphyrij voces neque plures quam quinque.

Quemadmodum autem in cæteris propositionibus de subiecto communi, sic in exclusiuis reperitur omne genus oppositionis, contrariæ enim sunt duæ iste propositiones, tantū homo est animal, tantū homo nō est animal. contradictoriæ vero, tantum homo est animal, non tantum homo est animal. subiecto contrariæ non tantum homo est animal, non tantum homo no est animal : sicut alter næ de nū sunt duæ iste, tantū homo nō est animal, nō tantū homo nō est animal, quæ omnia subiecta oculis figura demonstrat.

Liber tertius.

Tantū homo  
est animal.

contraria.

Tātum homo  
nō est animal.

Subalter.

Contra dictor.  
Contra dictor.

Subalter.

Non tantū hō  
nō est animal.

Non tantū hō  
est animal.

Verum hoc ipsum ex sensu singulorum generum propositionum exclusuarum cognoscī minori negotio poterit, quām ex ipsis enūciationibus exclusiuis, vt possit quiuis spectare posita ante oculos hac figura, in qua collocantur illæ enūciationes, per quas exclusiū explanātur eo ordine quo collocatē sunt quas explanant,

Nihil

Nihil aliud  
ab homine  
est animal,

Contraria,

Omne aliud  
ab homine  
est animal,

Subalter.

Contra dictor

Subalter.

Aliquid aliud  
ab homine nō  
est animal,

Subcontra.

Aliquid aliud  
ab homine est  
animal.

Cætera omnia quæ Sophistæ vulgo tradunt  
de suppositione nominum, quibus constat e-  
nunciatio exclusiva, admodum infrugifera  
sunt. hæc vero quæ diximus, tametsi non om-  
nino prosint, præ se ferunt nescio quid volup-  
tatis iis qui illa intellexerint, quanquam præ-  
termitti omnia meo iudicio sine ulla iactu-  
ra studiorum possent,

Dicamus iam de secundo genere exponibi

N 3 bilium

Liber tertius.  
lium enunciationum, hoc est, de exceptiis  
propositionibus.

**D e exceptiis. C A P. III.**

**E**xclusiua enunciationes, quarum sensum  
aperuimus superiori disputatione proxi-  
me consequitur exceptiæ, de quibus eo  
pacto à nobis dicendum est, atque eo ordine  
quem obseruauimus cum de exclusiis age-  
remus. Propositio igitur exceptiua est, quæ  
coniunctione afficitur exceptiua. Scimus c-  
eñim exponibiles enunciations sumere ap-  
pellationem à voce obscura, qua constant.

Quænam autem sit coniunctio exceptiua,  
præterea quotuplex sit, grammatica docet,  
non dialectica, ne in hac re explicanda tem-  
pus insumamus. Illud præterea grammati-  
ca docet, non dialectica, qua ratione confici  
debeat enuntiatio exceptiua, ut cōgrua sit.

Quatuor autem formæ sunt enunciationū  
exceptiuarum, quæ vario modo ob eam rem  
explanari debent. aut enim omnino vacat  
enūtiatio negatione, ut cū ita loquimur, om-  
ne animal præter hominē incedit pronum.

Aut modus negatione adficitur, vñibum  
vacat negatione, ut cum dicimus, non omne  
animal præter hominem pronum incedit.

Aut

Aut contra, verbum adficitur negatione, modus ea vacat, ut cum sic loquimur, omne animal præter hominē non incedit pronū.

Aut demuni modus & verbum adficiuntur negatione, ut si quis dicat, quod raro profectō eueniet, non omne animal præter hominem non incedit pronum.

Iam tempus est, ut doceamus rationem exponendi propositiones exceptiuas. & quidē pretermissa sententia atque opinione multorum qui arbitrantur singulas enūciationes exceptiuas per tres enūciationes exponi mihi ita videtur. Vnam duntaxat atque illā aperiōrem, & planiorē, satis esse, nā hæc enūciatio, omne animal præter hominē pronum incedit, sic exponitur, omne animal aliud ab homine vel homine excepto, vel quod non est homo pronum incedit.

Ista vero non omne animal præter hominē pronum incedit, sic exponitur, non omne animal aliud ab homine pronum incedit.

At hæc omne animal præter hominem non incedit pronū, sic explicatur, omne animal aliud ab homine pronum non incedit,

Postremo hæc enūciatio, nō omne animal præter hominem non incedit pronū, ita exponi debet, non omne animal aliud ab homine

Liber tertius.

non incedit primum, & hæc quidem est expeditissima ratio explanandi hoc genus enunciationum, quandoquidem in signo latebat obscuritas, deprehenditur autem oppositio istarum enuntiationum præsenti figura.

Omne animal  
præter hominem  
incedit  
primum.

Cōtraria.

Omne animal  
præter hominem  
non incedit  
primum.

Subalter.

Contra dictoria.

Subalter.

Non omne  
animal præ  
ter hominem  
incedit pro  
num.

Subcōtraria.

Non omne  
animal præ  
ter hominem  
nō incedit  
primum.  
Cum

Cum enim cætera habeant hæ enunciatio-  
nes eadem cum reliquis quæ opponuntur, sig-  
num duntaxat quo afficiuntur diuersum ha-  
bent: parum ergo negotij istarum enūtiatio-  
num expositio exhibebit vel leuiter, ipsam  
rem consideranti.

*De reduplicatiis enuntiationibus.*

CAP, III.

**E**Xceptiuas enunciations cōsequitur ge-  
nus propositionū reduplicatiuarum, de  
quo est in præsentia nō nihil dicēdū quo  
niā ita poscit suscepτæ disputationis ratio.

Principio dicamus quid sit propositio re-  
duplicatiua: reduplicatiua igitur propositio  
est quæ afficitur voce reduplicationem sig-  
nificantem.

Est autem huiusmodi, in quantum, quate-  
nus, vt, secundum quod, atque aliæ voces ha-  
rum similes.

Verum singulæ voces commemoratae bi-  
fariam usurpantur. interdum enim causam  
significant, interdum minime. Quando non  
significant causam, aiut Sophistæ, accipi spe-  
cificatiue, vt cum ita loquimur: color in quā-

N 5 tuin

Liber tertius.

tum color est obiectum visus, sonus ut sonus  
est obiectum auditus. In quibus enunciatio-  
nibus non significatur causa, sed natura tan-  
tum, atque species. Aliquando vero causa sig-  
nificatur: & tunc dictio illa accipitur redu-  
plicatiuē, verbi gratia, cū dicimus, homo  
in quantum rationalis est risibilis. & hoc sen-  
su accipimus has dictiones in presentia.

Sed videamus qua ratione exponi debeat  
enūciatio reduplicatiua. Vulgo ita putatur  
per quatuor propositiones explanari debere.  
Quoniā vero multo magis arduū atque dif-  
ficile est habere perspectas tot enunciatio-  
nes atq; illas mēte retinere, quam illam quæ  
exponitur intelligere, incunda nobis alia ra-  
tio est explanandi commemoratum gen⁹ e-  
nuntiationum, & quoniā huiusmodi di-  
ctiones (ut exposui) causam significat, expo-  
nentur quidem nullo negotio per propositio-  
nem in qua causa exprimatur: quæ si vera sit,  
erit altera vera, si vero falsa illa, alia falsa e-  
rit, v.g. hæc propositio homo in quantum ra-  
tionalis est risibilis, ita exponitur: homo est  
risibilis, quia est rationalis: & est prior enūcia-  
tio vera, quoniā hæc quæ illa exponit vera est.

Hæc etiam homo secundum quod constat  
quatuor primarum qualitatum temperamē

io corrumpi potest, sic explanatur, quia homo constat temperamento quatuor qualitatum primarum corrumpi potest.

Nihil autem vetat causam illam uno aut altero causarum genere cōtineri, ut sit propositiō vera, modo causa significetur,

Oppositio vero in propositionibus eo pacto efficienda est, quo pacto efficitur in categōris categoricis enunciationib⁹, quod presen ti figura constare potest.

Omnis hō in  
quantum ra-  
tionalis est  
ribilis.

Omnis hō in  
Cōtraria. quātū rationa  
lis non est ri-  
bilis.

Subalter.

*Contra dictoria.*

Subalter.

Non omnis  
homo inquā-  
tum rationa-  
lis nō est ri-  
fi.

Non omnis  
hō in quan-  
tū rationa-  
lis est ri-  
fi.

Subcontra.

Adducere argumenta aduersus ea quæ dicimus, labor erit inanis, cù sint omnia aperi-  
tiora, quam ut in quæstionem verti debeant  
ant possint, nam qui hoc loco de incarnatio-  
ne, & trinitate differit, quod facit quidā, non  
potest non esse ridiculus.

**G** De enunciationibus in quibusc-  
e xistit verbum differt.

CAP. V.

**Q**uartum genus exponibilium proposi-  
tionum constat verbo differt: cuius cau-  
sa aliquo pacto (si sophistis credimus)  
difficilis atq; obscura redditur propositio.  
Hoc propositionum genus, vt explicem ani-  
maduertendum nobis est, quod harum pro-  
positionum duplex tantum genus est, vnum  
affirmatiuum, vt homo differt à leone. alterū  
negatiuum, vt homo ab homine non differt.  
Huius rei ratio est, quia idem omnino est ver-  
bum constituens enuntiationem difficultem  
& verbū, quo potissimum constat enūtiatio,  
quare si afferat verbū enūtiationē efficit ōni-  
no affirmatiū, si neget, simpliciter negatiū  
cæte-

cætera vero genera oppositionum ex subiecto sumuntur, non ex signo. Sed dicamus quare ratione explanari debeat propositio in qua existit verbum differt. Vulgo putatur, enunciationem affirmantem in qua est verbum differt, explicandum esse per tres enunciations, quarum priores duæ significant subiectū & prædicatum existere. Tertia vnum afferat ab altero, v.gratia, Pigmæus differt ab homine, Pigmæus est, & similiter homo, & Pigmæus non est homo. Negatiuam autem propositionem explicant totidem propositionibus quarum priores due statuant, collocent que in natura rerum extrema propositionis. Tertia vnum ab altero diuidat, verbi gratia, homo non differt ab equo, homo existit, atq; etiam equus & homo non est equus. Sed mea sententia ratio explicandi propositum generum enunciationum tota pendet ex eo, vt intelligamus utrum inuicem differre dicantur, quæ res nusquam existunt, vt quod existit ab eo quod nusquam est. Nam si sit necesse vt existant quæ differunt, procul dubio ea ratione, quam vulgus sophistarum sequitur, exponi debet propositio, quæ cōstat verbo differt. Si vero necesse non sit, vt existant quæ differunt quod Porphyrius cap. de differentia innuit,

cum

Liber tertius,

cum ait, Socrates iuuenis differt à Socrate se-  
ne, & stans sedente, proculdubio satis est ter-  
tia propositio, quę apertior est, & planior. O-  
portet autē, cū existit in oratiōe, prēter ver-  
bum differt, dictio alia qua significamus ex-  
rema differre, eādem collocare in exponēte  
v,g, cum dico, homo differt genere à Platano  
sic explanare enunciationem debeo, homo  
& Platanus nō sunt eiusdem generis, in cæte-  
ris verò simili modo.

Considerandū tamen est diligenter quo pa-  
eto velimus significare vnam rē ab altera dif-  
ferre: nam illū cūdēni sensum oportet expli-  
care & exprimere in propositione exponēte  
nam interdum significanius res aliquas sub-  
stantia differre, interdum aliquo accidente,  
quod curabimus negare cū ppositionem ex-  
planamus. Cum enim dicimus, Socrates dif-  
fert à Platone, non significamus substantia  
atque essentia vtrūque diuersum esse: sed vt  
Porphyrius ait cap. de differētiā, alteritate  
quadā, aut accidente quopiam, quare cum di-  
cimus. Socrates non est Plato,, accidens illud  
negam⁹, quo vtrumque differre significaue-  
ram⁹, nō hominis substantiam. Itē hanc pro-  
positionē, homo differt ab homine sic expla-  
namus, homo non est homo, solum negamus  
acci-

accidens quodpiam, quo homo ab hominē  
differt, nā homini homo multū prēstat, solum  
to intelligens multū interest, nisi enim id di-  
ligēter obseruauerim⁹, pculdubio reddem⁹  
interdū falsam exponentē, cum existat ve-  
ra propositio, quam exponim⁹. Ut id efficia-  
mus quā optimie fieri possit, adhibeamus in  
cōsilium auriū iudicium. Fodē pacto expla-  
nanda est ea enūtiatio in qua est relatiuum,  
ali⁹, vt Socrates est ali⁹ à Platone, etenim v-  
triusq; enuntiationis idē sensus est, nisi quod  
relatiuum in neutro genere dicit diuersam es-  
sentiā, vel substantiā: vt Socrates est aliud à  
Platone hoc est, diuersa natura & substancialia  
cōstat. Verū sic obijcio, si ea ratione explicā  
retur ppositio in qua existit verbū, differt,  
sequeretur q̄ esset falsa propositio quę alterā  
exponit, quę vera est. Hoc ita pbatur nā hęc  
ppositio, materia & forma differūt à Socra-  
te, videtur esse vera, quia materia differt à So-  
crate, & forma similiter ergo materia & for-  
ma. falsa verò est illa, quę alterā exponit, ma-  
teria inquā, & forma non sunt Socrates. Ve-  
rum hęc obiectio facile ea ratione diluitur,  
negam⁹ primū verum esse, quod pbare ratio  
studet & cū aduersarius contendens enuncia-  
tionē illā verā efficere, rogat, an materia &  
for-

Liber tertius.

forma differant à Socrate, adhibenda distin-  
ctio est. Aut enim utrumq; simul accipis, aut  
singula per se, si per se singula, vera enuncia-  
tio est, similiter est etiam vera illa enuncia-  
tio, materia & forma nō sunt Socrates, (utro  
bique enim eodē pacto materia & forma ac-  
cipi debent) si vero materiam & formam si-  
mul accipias, hoc est, ut unum constituunt,  
falsa utraq; propositio est. Illavero ratio qua  
vititur aduersarius, ut veram efficiat proposi-  
tionem priorem, nempe materia differt à So-  
crate & forma differt à Socrate, ergo mate-  
ria & forma differunt à Socrate, vitiosa est.  
peccat enim fallacia cōpositionis. nam in cō  
sequente compono quæ diuiseram in antece-  
denti,

CAP. VI.

*De ratione explicandi propositiones,  
quæ constant verbo, incipit  
aut definit.*

**E**xplícata natura propositionum in qui-  
bus existit verbum, differt, consequitur  
disputatio earum enūciationum quæ dif-  
ficiles redduntur solum quòd efficiantur con-  
stentq; verbo incipit, aut definit. Sed ut de  
medio

medio tollatur obscuritas, quan verbum orationi conciliat, meminerimus initio, quod incipit atque desinit, ut admonet Petrus Hispanus, duo tantum genera enūciationum efficiunt, vnum earum quæ assentunt, alterum earum quæ negant. v.gra. bellum geri incipit, bellum geri non incipit: bellum, geri desinit, bellum geri nō desinit. Quamobrem inquirendā ratio est explanandi utrumque genus propositionum. Illa vero non est admodum impedita, aut obscura sed expedita potius.

Sed quoniam rerum duplex est genus, vnu earum quæ totæ simul existunt sunt q; cuiusmodi est angelus, qui cum partibus vacet, simul totus efficitur, atq; existit: alterum earum rerum quæ successiue efficiuntur, quod genus est motus atq; tempus, quæ successioe potissimum constant. Si propositio sit affirmatiua, constetq; verbo illo, incipit, & accō modetur rei, quæ tota simul efficitur, sic explanatur, nunc est, & immediate ante hoc nō fuit, v.g. Michael incipit esse, hoc est nūc est, & immediate ante hoc non fuit. Si vero sit propositio affirmatiua, & verbū incipit accō modetur rebus, quæ totæ simul non efficiuntur, sed successiue, ut vulgo loquuntur, ita ex-

O pla-

Liber tertius.

planatur. nunc nō est & immediatē post hoc erit, v.g. motus incipit esse, hoc est, nunc non est motus, erit tamen immediate post hoc. Negatiua vero propositio in qua existit verbum incipit, quocumq; modo illud verbum dicatur, contradictoria ratione explanatur & disiunctiuē, v.g. Michael nunc nō est, vel ante hoc fuit. motus non incipit esse, vel motus nunc est, vel immediatē post hoc non erit. Eodem pacto censendum est nobis de ppositionibus ijs in quibus collocatur verbum definit. nam si verbum accommodetur priori generi rerum, v. g. cum dicimus, Angelus definit esse, ppositio sic exponitur, angelus nunc est, at non erit immediate post hoc. Si posteriori generi, vt cū sic loquimur, bellum esse definit, sic expla natur enunciatio. bellū nūc non est, at fuit immediate ante hoc. Contradictorio modo exponēda est ppositio negans, in qua existit verbum definit: quod factu difficile non erit rē considerāti diligēti<sup>9</sup>.

Illa vox immediate qua utimur cum propositionē explicamus, quæ verbo incipit aut definit constat, idē est omnino, quod p̄xime & nullo medio interiecto, tēporis videlicet. quare cum dicimus rē quam piā immediate post hoc futurā, significamus, nullū futurum

tē-

tempus post hoc quod indico, in quo res nouæ existat: & cū dico, immediate ante hoc quid piam fuisse, significo nullum extitisse temp<sup>o</sup>, ante hoc quod signo in quo res de qua loquimur non fuerit.

Oppositio istarum propositionum quæ cōstat verbo, incipit, aut definit, duobus præceptis absoluitur. vnum est, vt verbū incipit, aut definit mutetur secundum affirmationē & negationē: nam si in vtraq; enunciatione asserat, aut neget in vtraque propositione, non opponentur. Alterum est vt voces quæ in una propositione antecedunt verbū, incipit, aut definit, antecedant etiā in alterā, & quæ in una cōsequuntur verbum, in altera etiam consequātur. Rationem Sophistæ reddunt, quia vtrumq; istud verbum confundit consequentes voces perinde, atque illa verba promitto, requiritur, & similia, quorū fecim<sup>o</sup> mentionē cum de categoriarum propositionum oppositione ageremus. Hæc si obseruentur, vniuersum genus oppositionis facile constitui poterit iuxta præcepta efficiēdi oppositionē, quæ initio libri secundi tradidimus, vt planum erit præsentē figuram attēnus contemplanti.

Liber tertius.

Omne bellum contraria. Nullū bellū geri incipit. Nullū bellū geri incipit

Subalter.

Contra dicitur  
Contra dicitur

Subalter.

Aliquod bellū subcont, Aliquod bellū geri incipit. geri nō incipit.

Hæc dixisse de propositionibus, quæ constat verbo illo incipit, aut desinit, satis super que sit, nā cætera omnia quæ Sophistæ hoc loco docere, vel in questionem vertere consueverunt, præterquam quod admodum infugifera sunt, exuperant rudium captum.

¶ De comparatiis. CAP. VII.

S Vperioribus solent etiam adiucere sophistæ rigidi omnium rerum censores, eas e-  
nun-

nunciationes quæ per comparationem efficiuntur, atq; in illis explicandis multum operę insumūt. Qui si vel Niniuitam, vel quē piam alium ignobilem & triobolarem grammaticum adissent, compendio isto labore liberarentur. nam hæc enunciationum genera explanare grammaticorum est. Sed nos obtemperemus hac parte sophistis. Propositionum comparatiuarum duplex est genus, quædam enim sunt afferentes, aliæ negantes: quæ sane diuersa ratione explanantur. Illam ut intelligamus accipiendum est nobis ex grāmatica comparationem esse duplēm, vñā propriam, alteram impropriam, quam abusū uam appellant. Propria illa vocatur, cum vtrū que extreūm particeps est eius, in quo fit comparatio, ut cum italoquimur. Cicero eloquentior Plinio fuit. Impropria est, cūm aut neutrum, aut alterum extreūm non suscipitrationem eius, in quo efficitur comparatio: ut cum Curtius dicit, mare Caspium dulcius esse, quam cætera maria. neq; enim mare ullum dulce est. Quando ergo improprie & abusiuē vt vulgo loquuntur, fit comparatio propositionis affirmativa explicatur adhibito aduerbio minus, & contrario eius, in quo fit comparatio, ut dulcius quam cætera maria sit

### Liber tertius.

idē, quod minus amarū. negatiua vero pposi  
tio cōtradictorio modo, vt nō est dulci⁹ quā  
cetera, hoc est tā parum amarū. Si vero cōpa  
ratio ppria sit, & ppositio affirmet, oportet  
extremo vtriq; tribuere id in quo fit cōpara  
tio, sed magis illi, quod recto casu significatur  
vt Cicero fuit eloquentior Cæsare, vterq;, Ci  
cero in quā & Cæsar eloquētia valuerūt. sed  
magis ea Cicero valuit, quā Cæsar. Negatiua  
ea ratione explicatur, vt vtriq; extremo red  
dam⁹ id in quo efficitur cōparatio, sed nō ma  
gis illi, qđ significatur recto, v.g., Cæsar non  
fuit eloquentior Cice, vterq; eloquētiā adept⁹  
est, verū nō magis illā est cōsequutus Cæsar,  
quam Cicero.

Propositio vero quę nomine superlatiuo  
cōstat, duob⁹ modis explanatur iuxta dupli  
cē sensum, quę reddit: aut enī affirmat super  
latiuum, aut negat: cū affirmat, ita exponi  
tur, Verruget⁹ fuit Hispanorum in arte scul  
ptoria peritissimus, Verrugetus Hispanus  
fuit, & præterea peritior in arte sculpendi cę  
teris Hispanis hominib⁹. Si neget, ita explica  
tur, v.g. Michael angelus Italorū in arte piu  
gendi fuit dexterinus, fuit Michael ange  
lus Italus, & in arte pingendi dexterior cę  
teris, qui in Italia orti eius artis cognitione,  
atque

Summæ summularum, 100  
atque scientia floruerunt. De comparatiuis  
ergo & suplatiuis hęc dixisse satis supque sit.

*¶ De infinito. CAP. VIII.*

Ostremū genus propositionum exponibi-  
liū, de quibus Sophistē hacten⁹ disserue-  
runt, cōstat nomine isto infinitū, qui si A-  
ristotelē summum philosophum pluribus lo-  
cis in quibus disserit de infinito adirēt, apti⁹  
de infinito disputassent. Vsurpatur autē infi-  
nitū duobus potissimum modis: uno modo  
pro re, quę fine vacat, quoniam omnis quan-  
titatis est expers, quo sensu deū appellam⁹ infi-  
nitū: alio modo pro re quę licet quātitate prē-  
dita sit, & habere exitum aut finem possit,  
nō habet tanien: & tunc infinitū categorema-  
ticę a Sophistis appellatur: qua ratione p̄fus  
ignoro, neque mirū est à nobis ignorari, cū à  
principib⁹ huius egregij, atque admirabilis  
instituti ignoretur, quēa dmodū etiā ignoro  
cur aliud infinitum syncategoreticę vo-  
cetur, illud videlicet, qđ tametsi finē habeat,  
nō est tantū quin maius esse possit: quo intel-  
lectu linea infinitā solemus vocare, & nume-  
rū infinitū, quoniā non tāta assignatur linea  
vt maior assignari nō possit, neq; tātus nume-  
rus est, vt maior esse non possit.

O 4 Hec

### Liber tertius.

Hæc sunt quæ de exponilibus scribere coacti sumus, ne ansam reprehendendi Sophistis præberemus nostrum istum laborem : & contemnendi vigilias & lucubrations, quas nos libeti animo suscepimus, non tam quod dignæ sint in quibus optima studiosorum iuuenium ingenia elaborent, quam ut explademus ex scholis tantam molem questionum inceptrarum, quātam Sophistæ vel nolentibus nobis obtrudunt. Faxisit De optimus max. vt felicem exitum habeat.

**FINIS.**

## LIBER QVARTVS

SVMM AE SVMMVLA

rum de insolubilibus & obliga-  
tionibus.

Vartus liber summæ summula  
rum duobus tantum capitibus  
constabit, alterum explicabit  
propositiones quas vulgo ape-  
llant insolubiles, alterum vero  
pauca quedā cōplete etetur quē sequidebet, qui  
velit secundū artis Dialecticā præcepta dis-  
putare: Sophistæ obligationes vocant.

**P**Ræter ea enunciationum genera quorum  
longam superius mentionem fecim⁹, quæ  
dam alię enunciationes sunt quæ in expli-  
cabiles vocantur, Sophistæ illas appellant in-  
solubiles aut reflexiuas: insolubiles quidem  
quod aut non omnino, aut difficile solui pos-  
sint, si interrogentur. reflexiuas vero, quod in-  
se flectantur: & si veras illas concedamus, fal-  
sas reperiemus: si vero falsas dicamus veras es-  
se comperiemus. Quamobrem propositio  
insolubilis aut reflexua hac finitione finiri  
poterit. est pī opositio quæ si inquiratur non  
facile explicari possit. Huiusmodi est hēc

O s pro-

Liber tertius.

propositio, ego mentior: aut enim mētior, cū illā profero, aut nō mentior: si mentiri me dicas, iam nō mentior, cum dicā me mentiri dū mentior: si vero dicas nīcē non mentiri, mentior, cū dicam mentiri me. Istarū captiosarū, aut insolubilium enūciationū multa genera apud probatos authores reperiuntur, quæ in presentia tantum attingam. Primum genus vocatur ceratīnum, aut cornutū, quoniā undecumque capit aduersarium: vt si roget aliquis, amisisti cornua, necne? nam si dicas amisisse, habuisti cornua. si verò nō, illa habes. nā quod nō amisisti, habes. Sed oporteret ridicula cū risu accipere, ne si magnam eorum rationem habeamus illud efficiamus, vt seria putetur, quæ re vera sunt iocularia.

Secundū genus vocatur Crocodilites, illud est, cum circumuēti astuta interrogatione admittimus aduersario quod nobis incommodum adferre posset: exemplum sit, petit quispiam librū, dico dabo tibi librum, si verū dixeris: rogo statim eum qui petit, vtrū datur sim librum, necne: si dicat, dabis: non dabo, quoniā falsum dixit: si vero dicat, nō reddes, nō reddā, ne si reddidero, ille falsum dicat & librū non ferat. Hui⁹ rei exemplō Politian⁹ refert in miscellaneis, & cur hoc genus inter-

rogatiōis ita apelletur rationē reddit. Ferūt enim Crocodilum similem sermonē habuīſſe cum muliere, cuius filium abripuerat.

Tertium genus vocatur Aſſtatō idest, nō cōſiſtens cū id quod quis profert, tollit, quod profert: vt ſi qui loquitur, dicat ſe tacere, nā cū dicat ſe tacere, non tacet. & quod Socra-tes apud Platōnem dicit. hoc vñ ſe ſcire qđ nihil ſciat: nam id cōſiſtere non potest: ſi e-nim ſcitur, ſe nescire, ſcit quidem, quare falſum eſt, nihil ſe ſcire. Sed cum quiſpiā hāc loquē-di rationem reprehendit. dicturi ſumus nos illud tantum ſignificare, cæterā quidem tace-re, atq; id vnum dicere, cæterā ignorare, atq; id vnum ſcire. Hoc enim ſenſu accipiēda eſt huiuſmodi loquendi forma.

Quartum gēnus vocatur à Græcis pſeudo menon, à Latinis mentiens, vt cū roganti v-trum cœlum omnia tegat, respondem⁹ ſic eſſe, mentiri videmur, nam & ſe tegeret: et ſi Epimenides Cretensis interroganti, an Cretenſes eſſent mēdaces, respōderet mēdaces eſſe Cretenſes, mētitetur: aut enim ipſe dū id di-cit mētitetur, aut nō: ſi mētitetur habenda illi fi-des nō eſt, ſi verū dicit, mētitetur etiā ipſe cū ſit Cretensis: quare nulla fides adhibēda eiē eſt. Sed

Sed istud genus perinde dissoluitur , atque proximè à nobis expositum: significamus cùm cœlum alia a se tegere, & Cretenses omnes mēdaces esse, vno excepto Epimenide.

**Quintum** vocatur Dilemma . Est dilecta quæstio constituta ex membris repugnanti-bus, quorum vtrumvis concesseris in repre-hensionem incurras: vt aut est ducenda vxor formosa, aut turpis: si formosam duxeris, ha-bebis publicam, si de formen, pœna sequetur. Dissoluitur per contraria: vt si duxero for-mosam habebō voluptatem, si de formem mi-nimè habebō communem.

Hec sunt potissima genera insolubilium quæstionū quæ apud graues imprimis auto-res reperiuntur: nam quæ de hac re Sophistæ differunt, somnia sunt atq; fabule. Illi enim insolubilem aut reflexiuam solum appellat eam propositionem, quæ eo est ingenio atq; natura, vt quam primum cōcedatur vera fal-sa efficiatur, huiusmodi est ea, quæ de se quid piā dicit, vt hec propositio, hec est falsa quæ demonstrat seipsum: nam aut illa falsa est, aut vera: si vera, significat ita esse, sicut est sed sig-nificat se esse falsam, ergo est falsa : si dicas ei se falsam sit vera, quia significat ita esse sicut est, Sed hec nugamenta sunt puerilia.

De

**¶ De obligationibus.****CAP, II.**

**P**ræter illas enuntiationes, aut questiones insolubiles, quas summa breuitate per sequuti sumus capite proximo, Sophistæ excogitauerunt quandam aliam Sophisticæ facultatis veluti partem, quam non satis sequuti sunt, aut saltē nō explicauerūt quorū sum spectaret. Eam partem vocant obligatoriam, & eius partis præcepta, obligationes. Ex hac parte illi aut nullum, aut perquam exiguum emolumētum vñquam cēperunt quod finē huius partis ignorarent: quem si nossent, haud dubium equidem est, quim cēsent magnum inde commodum relatiuri.

**Q**uamobrem de hac ipsa pauca differemus: præsertim vero aperiemus scopum huius negotij, nam de eo longiori oratiōe à nobis disputatum est in libello de ratione disputādi.

Dialectica quoniam ars cīl dislerēdī, & disputatio inter arguentem & respondentē veratur duobus opus habet, qui roget inquā & qui respondeat, vt Aristó. innuit initio top. illis verbis, propositum quidē negotium est methodum inuenire, per quam possimus dis-

pu-

### Liber tertius.

putare de quolibet proposito problemate,  
& ipsi disputationem sustinentes nihil dicam-  
mus repugnans. Ergo cum ad disputationem  
interrogante & respondentē sit opus, in obli-  
gationibus prætermisso officio arguētis, qui  
totus in eo positus est, ut roget, petatque ab  
aduersario ea quæ apta, atque acommodata  
esse videt ad efficiendam rei dubiæ fidē. par-  
tes respondentis explicant aliquot præcep-  
tis, quæ sunt à nobis in medium adducēda in  
præsentia. Vnum est. posibile possum, est ad  
mittendum, hoc est si qui arguit, petit à respō-  
dente, ut admittat quod potissimum est, qui res-  
pondet, debet illud admittere, tātum quia sie-  
ri potest, est autem præceptum ab Aristotele  
acceptum libro. 8. phy. Eius vero præcepti ca-  
ratio est, quia si illud est possibile, fieri aliquā-  
do, alioqui frustra dicetur possibile: quare ad  
missum, nihil incōmodi attulerit. Verbi gra-  
tia, quia possibile est omnem hominem expe-  
tere fœlicem esse se, si qui arguit, velit, ut ad-  
mittatur, qui respondet, illud adniittet.

Secundum præceptum, quod necessarium  
non est, est deponendū. Deponere est re qua-  
piā, aut ppositione vti, ut falsa:admittere ve-  
ro est, eadē ut vera vti: & perinde iudicare de  
illa, ac si vera esset. Cū ergo quod nō est neces-  
sarium

sarium possit falsum esse, potest ac debet, si ve  
lit qui rogat, ab eo qui respōdet putari falsum

Tertium præceptum, omne quod dubium  
est, si proponatur ab interrogāte, debet admit  
ti: nam cum dubium illud sit, nulla maior ra  
tio est cur debeat putari verum, quām falsum  
quare vel admitti potest, vel deponi: ergo si  
putatur ab interrogante, admittetur. Verum  
quod diximus de dubio & possibili, accipien  
dum eo sensu est, si nō pugnat cum aliquo ma  
nifeste vero, nam tunc etiam si sit possibile ad  
mitti non debet: quia simul cum altero existe  
re non potest. Nam si illud tanquam verum  
admitteremus, quod pugnat cū altero, quod  
admissum est, duo opposita virtute, & potesta  
te simul concederemus, quod maximē quidē  
absurdum est. Rationem vero cur non admit  
tamus, illam reddemus, quia etiā si perse pos  
sibile sit pugnat cum admisso. verbi gratia si  
quispiam roget alterum! cum quo dissenserit vt  
rum omnis homo possit expetere fœlicitatē,  
& ille respondeat posse quidem. rursum petat  
ab eo, vt admittat omnem hominē expetere  
summū bonū, ille iuxta præcepta à nobis tra  
dita debet illud admittere: deinde si petat, vt  
admittat etiā aliquem hominē non expetere  
summū bonum, quod euenire interdū potest,  
præter

Libet quartus.

presertim si aut voluptate aut quacunque alia causa mentem habeat perturbatam: ille tunc non tenetur hoc admittere: nō quod nō possit admitti, si per se sumatur, cū possit aliquando euenire, sed quoniam repugnat positio, & concessio.

Quartum preceptum, quicquid consequitur, quod concessum est, est etiam concedendum. ratio est quia qui aliquid concedit, visus est etiam concedere quicquid ex concessu legitimè consequatur. v.g. si quispiam admissit hominem sentire, admittere necessario debet animal quoq; sentire: quoniam si homo sentit, animal necessario sentit.

Quintum preceptum: quod antecedens negatum non est admittendum. v.g. negasti Pigmentum ratione preditum esse, non debes concedere Pigmentum esse hominem, quod est antecedens alterius. Recte enim colligitur, homo est, ergo predictus ratione. Ratio cur illud concedendum non sit, ea est quoniam aliqui in bona consequentia antecedens verum eset, & consequens falsum. Hoc planū est, quia optimè hoc pacto collectio fit, homo est ergo ratione utitur: at qui ex hypothesi antecedens concedis, & consequens negas, est ergo verum antecedens, & consequens falsum

Sex

Sextum præceptum: antecedens dubij non est concedendum, sed dubitandum. Ratio est quia si illud concederemus, & alterum dubitamus, bonę consequentię antecedens sciremus, & ignoraremus consequens: quare possemus putare antecedens esse verum & consequens falsum, quod plane pugnat cum natura legitime consequentię.

Postremum præceptum: ad impertinens respondēdum est iuxta eius naturam. Impertinentia illa vocant (quod exposuimus secunda parte terminorum cap. vltimo) quæ ea ratione inuicem comparantur, ut unum non inferat alteruni, neque ex eo inferatur, neque pugnent inter se, ut socrates fuit summus philosophus, Plato fuit Socratis auditor. Quando ergo quod rogat quispiam post alia neque pugnat cū admissō, neque insert illud, neque ex eodem insertur, respondēdum ad illud est iuxta eius naturā, hoc est, perinde ac si nihil esset admissum prius. sed sequi oportet ea præcepta quæ sunt à nobis explicata paulo superius. Hæc de legibus respondēdi quas obligationes vocant dixisse sit satis, nam cætera omnia superuacanea sunt, atque etiam admīdū in frugifera. Iam nunc ad alia propere-  
mus, & de syllogismorum natura differamus.

P Liber

LIBER QVINTVS  
SVMMMAE SVMMVLA-  
rum, qui est de syl-  
logismis.



I qui sunt apud Aristotelem libri, quos oporteat in compendium redactos esse, iij. sunt maxime, quos ille de priori resolutione scripsit. atque id duplice nomine: primum quidem quod in illis libris deratione conficiendi syllogismum, & iudicandi probe ne, an improbe consecutus sit differatur: quod intelligere admodum necessarium est ijs qui ad dialecticæ cognitionem aspirant, aut (ut verius dicam) his omnibus qui disciplinā quamcunq; parare studēt. Nulla enim ars est quæ parari vlla ratione sine presidio syllogismi, aut postquam parata sit, explicari recte possit. Et quidem cum sit syllogismus, opinione magnorum virorum, instrumentum quoddam omnium disciplinarum, atque artium, par est eius ingeniu & naturam ad amittim habere perspectam, ne in artium tractatione syllogismi ignorationes aliorum.

aliorum, quam par sit, revocet atque etiam tras  
uersos agat. Altera ratio est, quia nihil est apud Aristot. quod pluribus verbis, atque ijs  
obscerioribus explicatum sit quam syllogismus: cuius tractationem oportebat esse quam  
planissimam atque apertam maxime. Longe ergo difficillimum est usum ex istorum libro  
rum lectione capere, quo dignus est, et quem ex  
petit maximè, qui in eorum incubuit studium. Ne  
que ob eam rem Aristoteles increpatus est, quod is pri  
mus de ratione conficiendi syllogismum precep  
ta tradiderit: de Rheticis enim idem scribit  
ad calcem universae Dialecticæ. ante nos erant  
multa scripta, de dialectica vero, præsertim  
de hac parte syllogistica, nihil habuimus quod  
diceremus, sed omnia logo studio, atque dili  
gētia nostra, & sudore comparauimus. cum ergo  
fieri nulla ratione possit, ut ars aliqua simul in  
ueniatur, absoluaturque; ut idem se penunero te  
statur, sed noua indices sumat incrementa & tem  
poris beneficio nouę illi quotidiē accessio  
nes fiat, reprehendi nullo pacto Aristoteles debet,  
si de re usque adeo noua admodum tamē frugifera  
& que scopus esset, in quem referetur universi  
studiosorum dialecticę conatus, tamē obscure, tamē  
impeditè, atque etiam tamē spinose disseruerit:  
quoniam habenda est magna Aristoteles summo

philosopho gratia; quod vehementer in nos  
strā vtilitatē insudarit. Atqui ego cum pla-  
nē intelligam huius partis dialecticæ cogni-  
tionem esse imprimis necessariam, interim  
duni otiū nō suppetit ad conficiendū in duos  
libros de priori resolutionē iusta commenta-  
ria, summa rerum capita persequar, & hanc  
longissimam, atque admodum impeditā ora-  
tionem paucis perstringam; ne studiosi diale-  
cticæ hoc beneficio defraudentur, quod, qui  
rē volent attentius contemplari facile intel-  
ligent, quam non sit exiguum.

### *De termino, propositione, &*

### *syllogismo, CAP.I.*

V **T** expeditius atque etiam rectius hæc de  
syllogismis disputatio explicari possit,  
initio pauca quædā nobis sunt repetenda  
ex libro terminorū, necessaria illa quidē ad  
ea intelligenda in quibus tota nostra versari  
debet oratio. Sunt enim hæc ceterorum velu-  
ti fundamentum, Atque ut ædificatio non re-  
cte procedit, nisi pri⁹ fundamenta iccerim⁹,  
ita quoque disputatio perfecta atque absolu-  
ta nunquam, meo iudicio, cuadet, nisi prius  
quæ ad cætera viam sternunt, explicuerim⁹

Sunt

Sunt hęc terminus & propositio, quę sunt partes syllogismi: licet ratione diuerſa: nam propositio proximę pertinet ad syllogismum, cū syllogismus nullo medio interiecto ex propositionibus efficiatur: at qui ex terminis efficitur per medium aliquod, nempe per propositiōnem quę constat terminis.

Terminus ergo Arist. autore initio priorū est, in quem resoluitur propositio, vocatur autem terminus subiectum & prædicatum. u. g. homo atque animal quibus hęc propositio constat, homo est animal, nam illa in hominem atque animal resoluitur: vñquodq;ue enim in ea resoluitur, ex quib⁹ componitur, at propositio componitur tanquam ex partibus subiecto & prædicato, ergo resoluitur in subiectū & prædicatum. In verbum autem, est, quod significat substantiam, propositio non resoluitur: quoniam eo non constat tanquam parte sed est vinculum partium, subiecti inquam & prædicati, quamobrem verbum, est, quod substantiam significat, non debet censerī terminus, dixi verbum, est, quod significat substātiā non esse terminum, quia cætera verba, ut curro, disporto, & similia quæ significant actionem, vel passionem termini sunt quoniam prædicantur ratione actionis quam ex-

plicat. sed de hac re plura diximus prima parte terminorum quo loco de termino disserui mus. fit ex terminis propositio, que ita diffini tur, oratio in qua verum vel falsum est. haec constat verbo indicatiui modi, quia haec tantum seruit explicandis conceptis animorum. atque ideo ad dialecticum & philosophum pertinet de ea disputare. cetera orationum genera quoniam affectus exprimunt potius quam cogitationes animi ad oratores & poetas spectant, qui toti in eo sunt, ut concitent animos: sed et perturbationes: atque ea demum efficiant, quibus, quae dixerint, auditori probabilia efficiantur.

### De syllogismo. CAP. II.

**V**T ex terminis proximè efficitur propositio, sic ex propositionibus nullo medio interiecto fit argumentatio, que est statim à nobis explicanda.

Argumētatio itaque est ratio quædam colligendi unum ex altero, cuius quatuor sunt species syllogismus, inducō, enthymema, atque exemplum. de quibus multa diximus in Isogoge. Inter has partes quoniam principē locum obtinet syllogismus, de eo in primis nobis

his differendum est: atq; exordium sumendū  
et diffinitione eiusdem.

Syllogismus est argumētatio quædā in qua  
politis quibusdā aliquid aliud sequitur neces-  
sario per ea quæ sunt posita. v.g. quod est lau-  
dabile, est honestū, quod est bonū, est laudabi-  
le, ergo quod est bonū, est honestū. In hac dif-  
finitione multa quidē in sunt, quæ necessere sit  
paucis explicare. Primū pro genere ponitur  
argumētatio: cuius species est syllogismus, cæ-  
tera collocātur in diffinitione discriminiscäu-  
sa. In syllogismo quædam ponuntur, vel assu-  
muntur ad inferendam cōclusionem, nempe  
duæ propositiones. quo nomine syllogismus  
differt ab entyphemate in quo ex una propo-  
sitione altera colligitur. itē ab exēplo, in quo  
ex uno singulari p̄ similitudinē aliud colligo.

Deinde, ex illis duabus propositionibus a-  
liud colligitur nempe conclusio, quæ diuersa  
est ab antecedenti, vt in exēplo adhibito pla-  
nè constat. quia eadem illa propositione nō po-  
nitur in antecedenti, si vero conclusio eadem  
sit cū altera propositione earū quæ in antec-  
dēti ponūtur, syllogismus nō erit. vt si quis ita  
colligat, omnis homo est animal, & omnis ho-  
mo est animal, ergo omnis homo est animal.  
Secundò, vt sit syllogismus necessarium

271  
Liber quintus

est quod conclusio ex antecedente sequatur  
ex necessitate, vel necessario, hoc est, necessa-  
ria connexio sit inter antecedens & conse-  
quens. necesse autem non est, ut consequens  
sit necessarium. Postremo, conclusio colligi-  
debet per ea quae posita sunt, hoc est, ratione  
dispositionis duarum illarum propositionum,  
non alterius rei causa. Quare iste non est syl-  
logismus, omnis homo est animal, omne aptum  
ad ridendum est homo, ergo omne aptum ad  
ridendum fieri etiam potest: quoniam con-  
clusio non sequitur per ea quae sunt posita.

Sed obiectet quispiam haec finitione syllo-  
gismi comprehendendi inductionem: nam cum  
inductione utimur ex pluribus singularibus  
necessario colligitur universaliter. Verum ista  
objectionem sic dilue: multis videlicet modis  
inductionem a syllogismo differre. primum  
quia in syllogismo conclusio colligitur propter  
assumptas propositiones, id est, quia illae  
certa quadam ratione disponuntur in modo  
videlicet & figura: at cum inductione utimur  
universaliter colligitur ex singularibus, non ra-  
tione formae aut dispositionis sed rationesimi-  
litudinis quae existit inter illa singularia.  
Deinde in syllogismo conclusio sequitur ne-  
cessario, in inductione tantum probabiliter,

vt

et ut discemus suo loco; nam inductio autore Arist. primo top. est verisimilis argumentatio ratio.

*Desyllogismo perfecto atque imperfecto. CAP. III.*

**S**yllogismus duplex est, unus perfectus ali⁹ imperfectus. syllogismus perfectus est, qui perse vſq; adeo plane colligere ex antecedenti consequens videtur, ut nulla alia re opus habeat. Quis est enim tam in opere iudicij qui non videat huiusmodi syllogismum nulla re indigere, ut appareat necessario colligere.

Omne laudabile est honestum,

Omne bonum est laudabile.

Omne igitur bonum est honestum.

Syllogismus imperfectus est, qui ut appareat necessarius hominibus, unius aut pluriū indiget, conuersione, inquam, alicuius propositionis, aut plurium, vel conuersione cuiuspiam propositionis, & aliarum transmutatione, vel reductione ad impossibile, de quibus paulò dicemus inferius. Huiusmodi est hic syllogismus.

Omne animal est substantia.

P 5 Omnis

Omnis homo est animal.

Aliqua ergo substantia est homo.

Hic enim syllogismus ut necessarius apparet, conuersione indiget cōclusionis, quæ sim pliciter ita conuertitur, aliquis homo est substantia.

*Vnde robur accipient syllogismi.*

CAP. III.

**P**ossit aliquis dubitare, vnde vim atque robur sumat syllogismus. hanc vero dubitationem adhibita distinctione diluemus. aut enim syllogismus perfectus est, aut imperfectus, si imperfectus sit, accipit vim aduersus eos qui velint negare legitimam esse collectionem, ex syllogismo perfecto ad quem reducitur. ratione quam tetigimus paulo superius, est enim idem cum perfecto syllogismo re ipsa licet ratione, atque etiam dispositione ab eodem differat.

Syllogismus vero perfectus, qui norma est atque exemplar, ad quod imperfectus syllogismus examinatur, aut negatiuus est, aut affirmatiuus, si sit affirmatiuus accipit robur cōtra volentes negare legitimam illam esse collectionem inde potissimum, quod in eo syllo gismo

gismo prædicatū maioris ppositionis dicatur de omni subiecto, qđ. n. de altero dicitur ut de omni, dicitur etiā de quolibet cōtentō sub eo, sed prædicatū maioris ppositionis syllogismi affirmatiui dicitur de omni subiecto, maior enim est propositiō vniuersalis affirmās, ergo dicitur, de omni co quod cōtinet subiectū, sed subiectū minoris ppositionis accipitur ut cōtētū sub maioris subiecto, ergo de eadē dicetur prædicatū maioris, in cōclusione vero illud prēdico de subiecto minoris, ergo perfecta collec̄tio fit. Hoc aperte mōstrabit hic syllogismus.

Omne vitium est fugiendum.

Omnis avaritia est vitium.

Omnis ergo avaritia fugienda est.

Quaecunque enim sunt eadē vni tertiae sunt eadem inter se omnium opinione, sed subiectū minoris ppositionis & prædicatū maioris eadem sunt vni tertio, nempe medio: ergo sunt inter se eadem: atqui solum illud efficiō syllogismo affirmatiuo, ut extrema inter se iungantur in conclusione, ergo optima collectio est perfectus syllogismus affirmatiuo.

Syllogismus vero negatiuus perfectus inde vim habet, quod in eo syllogismo prædicatū maioris ppositionis de nullo dicatur subiecto quod. n. de altero dicitur ut de nullo, dicitur de

de quolibet contēto sub illo: sed prædicatum maioris propositionis syllogismi negatiui dicitur de subiecto ut de nullo; est enim maior propositio syllogismi perfecti negatiui universalis negatiua, ergo de quo quis contēto sub eo, atqui subiectum minoris propositionis accipitur ut contentum sub maioris propositio nis subiecto, ergo dicitur de illo negatiūc. sed in cōclusione solum adimo prædicatum maioris propositionis, ergo syllogismus negari nullo modo potest. Huiusmodi est hic syllogismus.

Nullus timidus est liber.

Auarus timidus est.

Non est ergo avarus liber.

**O**bijciet aliquis, si syllogismus perfectus his opus habet falsum est quod dixeramus, nullius rei indigere, ut appareat necessarius. **H**uic tamē obiectioni facile occurret si dicas syllogismū perfectum non indigere illis principijs, ut necessarius appareat, est enim ipse suapte natura satis efficax. Sed si quispiam proterius, ut sit sēpe numero, nolit fidem habere huiusmodi collectioni, constringi poterit in inexplicabilibus nodis ea ratione, quam diximus, quę ut communior, ita aperi tor est.

De

## De figura &amp; eius partibus.

CAP. V,

**O**Mnis syllogismus categoricus, aut simplex (nam de hypothetico aliud iudicium est, ut ex eius finitione atque exemplis adhibitis apertum est) tribus constat propositionibus quarum duę priores antecedens efficiunt, ultima consequens est, sed prima vocatur maior, secunda minor, tertia atque ultima conclusio. Rationem horum nominum reddidimus in Isagoge nostra. Ut autem syllogismus tribus commemoratis propositionibus constat, sic etiam tribus terminis dumtaxat efficitur, nam singula bis collocantur in syllogismo, Horum unus vocatur medium vel dignitas, alter maius extrellum, vel quæsitum, tertius vocatur minus extrellum, aut datum. Causam reddidimus in Isagoge, & commentarijs nostris in Cap. I. lib. I. de post. ref. Medium est terminus, qui bis sumitur, antequam inferatur conclusio. Maius extrellum est in maiori propositione cum medio. Minus extrellum est in minori etiam cum medio. Hoc intelligere nullum negotium est, si proposita paulo superius exempla inspiciamus.

Ex tribus his terminis quibus constat syllogismus

Liber quintus.

logismus vniuersus triplex conficitur figura, prima inquam, secunda, atq; tertia, que sumuntur ex varia atque diuersa medijs termini collocatione. Si enim medium sit vnius propositionis subiectum, alterius predicatum, efficitur prima figura. v.g.

Quicquid est iustum, est utile.

Quicquid honestum est iustum est.

Ergo quicquid honestum est, utile est.

Si vero medium sit predicatum in maiori & minori propositione efficitur secunda figura. v.g.

Nullum vitium est expetendum.

Omnis virtus est expetenda.

Nulla ergo virtus est vitium.

Postremo, si medium sit subiectum in maiori & minori propositione est tertia figura: ut cum ita colligo.

Omnis auarus est insatiabilis.

Omnis auarus est iniustus.

Ergo aliquid iniustum est insatiabile.

De communibus triū figurarū. CAP.VI.

**Q**uedam autem sunt que oportet obseruare cum quis velit in quaunque figura syllogismum confidere, atque unum ex altero colligere. illa vero quinque potissimum sunt.

funt. Primum. In nulla figura quidpiam colligitur, ubi medium in utraque propositione, maiori inquam, & minori non distribuitur, atque ideo haec forma argumentandi vitiosa est.

Quod ego sum, tu non es.

Ego sum homo.

Ergo tu non es homo.

Quando autem istud vitium committitur, dicimus vulgo argumentari ex puris particularibus. Vitabitur vitium, si in altera propositione medium distribuatur.

Secundum, ex utraque propositione negante nihil colligitur. vitiosa est enim haec colligendi ratio.

Nullus homo est arbor.

Platanus non est homo,

Ergo Platanus non est arbor.

Vitabitur admissum vitiū, si altera pars antecedētis affirmet. ratio est quia non est necessariū quod non insunt alicui tertio, non coiūgi inter se.

Tertium, in nulla figura vniuersalis proposicio colligidebet, ubi maior aut minor proposicio est particularis. non enim recte colligas.

Omne animal est corpus.

Aliqua substantia est animal.

Ergo omnis substantia est corpus.

Ratio est, quia cum sic argumentamur, ex

parte

**Liber quintus.**

**particulare vniuersale colligimus.**

**Quartum, in nulla figura assérens proposi-**  
**tio colligi debet, ybi maior aut minor propo-**  
**sitione negat, non enim recte colligas.**

**Nullum animale est arbor.**

**Homo est animal.**

**Ergo homo est arbor.**

**Antecedens enim verum est, & consequēs**  
**falsum. ratio est quia effectus non debet esse**  
**præstantior, quam causa, at qui utraq; propo-**  
**sitione quæ assumitur ad colligendum conclusionem**  
**causa est conclusionis, ergo si altera antecedentis pars neget, negabit cōclusio:nā**  
**si asserat, effectus causam vincet nobilitate,**  
**& præstantia, si quidem affirmatio melior est**  
**negatione.**

**Quintum: medium non est ponendum in**  
**conclusione, quamobrem hæc argumentandi**  
**forma vitiosa est.**

**Omne animal est substantia.**

**Omnis homo est animal.**

**Ergo omne animal est homo.**

**Ratio est, quia cum in syllogismo tres ter-**  
**mini constituantur, singuli collocari debent**  
**in syllogismo bis, & necesse est unum extre-**  
**num prædicari de altero in cōclusione, quod**  
**non contingit quando medium ponitur i-**  
**con-**

Ex his quæ à nobis dicta sunt, duo plana atq; aperta efficiuntur, vnum est, q; in omni syllogismo cuius medium est nomen commune, illud debet in altera parte antecedentis distribui. alterum est, cauendum esse nobis, ne quis terminus distribuatur in conclusione qui distributus non fuerit in maiori aut minori propositione. Hæc omnia seruare necesse est, vt efficax fiat syllogismus in quacunque trium figurarum. Atqui vt hæc communia sunt, ita quoquæ sunt alia peculiaria singularum figurarum, quæ explicare necesse est, ne in conficiendo syllogismo decipiamur, sunt illa duo. quæ vt intelligamus scire oportet syllogismum duplicum esse, vnum qui concludit rectè vulgo dicitur directè concludere, alium qui concludit oblique, indirectè sophistæ dicunt. Rectè cōcludit syllogismus cuius extremum maius in conclusione de minori extremo prædicatur: quod gen<sup>9</sup> sunt omnes illi syllogismi, quo runi exemplo hactenus usi sumus. Oblique cōcludit syllogismus cuius extremum minus de maiori prædicatur in conclusione, vt cum ita colligimus.

Omnis homo est animal.

Pigmæus est homo.

I Ergo aliquod animal est Pigmæus.

Q

Non

Liber quintus

Non enim inest minori extre<sup>m</sup>o de maiori secundum naturam prædicari, sed contra<sup>r</sup>ia ratione, atq; ideo oblique dicitur collige re ille syllogismus. Hac re explanata, quæ di<sup>c</sup>turi sumus minori negotio constabunt.

vnum est, in modis primæ figuræ quando minor propositio negat, syllogismus vitiosus est, vt cum ita colligo.

Omnis animal est substantia.

Nulla arbor est animal.

Ergo nulla arbor est substantia.

Ratio est, quia cum ita colligo maius extre<sup>m</sup>um quod in antecedenti non fuerat distributū distribuitur in cōclusione. Alterum est in modis primæ figuræ qui recte colligunt si maior propositio particularis sit, collectio vi<sup>t</sup>iosa est, vt cum ita differo,

Aliquod animal est homo.

Omnis leo est animal.

Ergo omnis leo est homo.

Ratio est, quia cum ea ratione argumenta mur, medium in antecedenti nō distribuitur, si autem oblique syllogismus colligat, vitiū non est, vt monstrabimus quo tempore de singulis modis primæ figuræ differemus.

De

De diſcrimine vtiliū modorum ab  
inutilibus. CAP. VII.

Venadmodum ex terminis quibus cōstat syllogism⁹ figura efficitur, ita quoque ex propositionibus efficitur modus. est autē modus debita dispositio duarū propositionum quibus constat antecedēs habitatione qualitatis, & quantitatis.

Nam quamuis modorū, qui oblique colligunt, diſcrimen ex conclusione sumi possit minimē quidem ex maiori & minori propositione accipitur. Necessaria qualitas ad syllogismum conficiendum est, vt maior vel minor propositio afferat: nam ex vtraque propositione negāte nihil colligitur. Necessaria vero quantitas est, vt sit maior aut minor propositio vniuersalis, quoniam ex vtraq; propositione particulari nihil colligitur, vt monstratum est paulo superius.

In singulis autem figuris cōſtitui possunt decē & ſex modi, quorū non nulli cōſtētes ſunt vulgo vocāti vtileſ, alij in cōſtētes & inutileſ paſſim appellāti. Hoc autem in prima figura verū eſſe hac ratione monſtratur, que poſſit reliquias duabus accōmodari. Aut enim vtraq; pars antecedētis vniuersalis eſt,

Q. 2 aut

## Liber quintus.

aut particularis vtraque, aut maior vniuersali,  
& minor particularis, aut contraria ratio-  
ne. Si sit vtraque vniuersalis, aut affirmativa vtra-  
que, & est modus consistens in Barbara, aut  
negativa vtraq; & est inconsistens modus, cū ex  
maiori & minori propositione negante nil  
colligatur: aut maior negat, & minor asserit,  
& est modus utilis in Celare: aut cōtra cōtin-  
git, & tūc qui cōficitur mod⁹ inutilis est, quia  
in conclusione distribuitur terminus aliquis,  
nempe maius extreum. & non distribuitur  
in antecedenti. At vero si sit vtraque pars an-  
tecedentis maior inquam & minor proposi-  
tio particularis, totidem modi cōfici possunt  
ut apparet, sed omnes sunt inconsistētes, quia  
ex vtraque parte antecedentis particulari nī  
hil prorsus colligitur. Tertio, si maior propo-  
sitio vniuersalis sit, & minor particularis, aut  
vtraque asserit, & fit modus consistens in Da-  
rij, aut vtraq; negat, & fit modus inconsistens  
quia ex vtraq; parte negante nil colligitur.  
Aut maior est vniuersalis negans minor par-  
ticularis asserens, & fit modus cōsistens in Fe-  
rio. Aut demum maior est vniuersalis asserens  
minor particularis negans, & fit modus incō-  
sistens, quia maius extreum in conclusione  
distribuitur, & non distribuitur in anteceden-  
ti.

**t*i.*** Quarto, si maior sit particularis, minor vii uersalis, quatuor modi confici possunt: sed hi omnes sunt inconsistentes, quia in illis omnibus illud vitium inest, ut in cōclusione distribuatur terminus qui non est in antecedēti distributus. Quatuor ergo duntaxat in prima figura reperiuntur modi consistentes, qui recte concludant, Barbara, celarent, Darij, Ferio: nam qui oblique colligant, existunt plerique alij in prima figura præter commemoratos.

**Qua ratione & quibus vocibus modi vtilles significētur.** CAP.VIII.

**A**d significandum illos modos qui in singulis figuris consistentes efficiuntur, Dialectici voces quasdam excogitauerunt. Et quoniam in prima figura nouem fiunt, quatuor recte concludentes, quinq; oblique: nouem illi nouem vocibus exprimuntur. Voces vero quas Latini inuenerunt, duobus istis carminibus significantur: Barbara, Celarēt, Darij, Ferio, Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum. Quę sanc carmina sensum nullum reddunt: sunt alia quibus Græci autores istam rem expresserunt, sensum effi-

**Q. 3 ciunt:**

Liber quintus.

ciunt: sed ea referre in presentia operæ pretiū non putauit. Ut fructum ex his dictionibus, quem illæ continent, capiamus, pauca mihi profanda sunt. Num est, quod singulæ voces singulos modos qui utiles efficiuntur, significant. Quia in obreim cum in singulis syllogismis tres propositiones tantum existat, maior videlicet, minor & conclusio, tres tantum syllabas singulæ dictiones habent, quæ tribus illis propositionibus respondent: si qua vero dictione pluribus syllabis quam tribus consistet, aliarū syllabarū, nulla ratio habenda est, sed duntaxat triū priorū. Hoc contingit in Friscomorū atque alijs: nam syllabæ plures tribus adiectæ sunt explendi tantum carminis causa, non ut quidpiam significarent.

Alterū est quod prima syllaba cuiusvis dictionis significat maiorem propositionem syllogismi, secunda minorē, tertia cōclusionē. Terziū est, Vocales singularū syllabarū significat quāta & qualis futura sit propositio, cui respōdet. Et quoniā vocales sunt. A. E. I. O. A, significat vniuersalē propositionem afferentē. E. vniuersalē negantem. I. particularem afferentē. O. particularē negantem, ut est à nobis dictū lib. 2. huius summū. Primus ergo modus utilis in prima figura a cōstat maiori & minori

&

& conclusione afferētibus, quod illa voce Barbara significatur. v.g.

Omne laudabile honestum.

Omnis bonum laudabile.

Omne ergo bonum honestum.

Secundus modus utilis est Celarent.

Nulla virtus est vituperanda.

Omnis humilitas est virtus.

Nulla ergo humilitas est vituperanda.

Tertius modus utilis & recte concludens est Darij.

Omnis virtus laude digna est.

Verecundia est virtus.

Ergo verecundia laude digna est.

Quartus est Ferio.

Nulla virtus vituperanda est.

Iustitia virtus est.

Iustitia igitur vituperanda non est.

Quintus modus, atque etiam primus eorum qui oblique colligunt, vocatur baralipton.

Omne laudabile est honestum.

Omne bonum est laudabile.

Ergo aliquid honestum est bonum.

Cū enim duę priores propositiones inferant conclusionē vniuersalem, inferēt etiā particulařē, in quā vniuersalis illa propositio afferēs per accidens conuertitur. Modus secundus

Q 4 qui

Liber quintus.

qui oblique colligit cōclusionem vocatur Cēlantes, sit conuersa conclusione eius syllogis̄mi qui efficitur in celarent.

Tertius colligens oblique, dabitis, vocatur. constat eisdem propositionibus quibus effici-  
tur Darij, nisi quod in eius conclusionem con-  
clusio Darij vertitur simpliciter. Quartus col-  
ligens oblique cōstat maiori, ppositione vni  
uersali asserente, minori vniuersali negante,  
& conclusione particulari negante, in qua mi-  
nus extreum de maiori pr̄dicatur, & signi-  
ficatur ea voce fapesmo.

Vltimus modus qui oblique colligit, ex ma-  
iori particulari asserente, & minori vniuersa-  
li negante infert conclusionem particularem  
negantem, & appellatur Frisesomorum. Ho-  
rum exempla suppeditare non opus est, quo-  
niam v̄su, & exercitatione studiosorum po-  
tius comparanda sunt, quam pr̄ceptis. Quā  
obrem pr̄ceptores & auditores vehementer  
hortor, vt in exercitationem istarum rerum  
magnopere incumbant.

*De modis qui conficiuntur in  
secunda figura.*

C A P . I X .

Sicut

**S**icut sunt quædam præcepta, quæ obserua re necesse est cum, qui in prima figura con ficit syllogismum, ita quoq; fit in secunda figura. Illa vero maxime sunt duo vnum est in secunda figura nihil colligitur si maior propositio sit particularis. Ratio est, quia cum in ea figuramedium in maiori & minori propositione sit prædicatum, accidit, ut subiectum maioris distribuatur in conclusione, quod in maiori non fuerat distributum. v.g.

Aliquod animal est homo.

Nullum brutum est homo.

Ergo aliquod brutum non est animal.

Alterū est, in secunda figura conclusio semper erit negans, alioqui argumentaremur medio in maiori & minori propositione existente indistributo. Nam si conclusio asserat, maior & minor necessario affirmabunt, & cum sit in utraque mediū prædicatū, nusquā erit distributum ut cum ita cōficiamus syllogismū.

Omnis homo est animal.

Omne brutum est animal.

Ergo omne brutum est homo.

Verum ut fiunt in prima figura decē & sex modi, ita quoq; fiunt in secunda, qui eadem prorsus ratione colliguntur, sed illorū quatuor dūtaxat existūt constātes, cæteri inconstātes

**Q**sunt,

Liber quintus.

sunt, atque etiam inconsequentes, Primus cōstans fit maiori propositione existēte vniuersali negante, & minori vniuersali affirmante, cōclusione vero vniuersali negante appellatur Cēsare: fit hoc pacto.

Nullus animus conturbatus ratione uti recte potest.

Sapientis animus ratione recte uti semper potest.

Ergo nullus sapientis animus est perturbatus.

Secundus fit maiori existenti vniuersali afferente, minori vniuersali negante, & conclusione vniuersali negante: appellatur Camestres: efficitur hoc pacto.

Omnes veri amici habent communia omnia.

Nulli hoc tempore habent communia omnia.

Nulli ergo hoc tempore existunt veri amici.

Tertius fit ex maiori vniuersali negante, & minori particulari afferente, conclusione demum particulari negante, dicitur Festino concluditur hoc modo.

Nullus inuidus alta petit.  
Maximus alta petit.

Maxi-

**Maximus ergo non est inuidus.**

Quartus fit cōtraria ratione, nempe ex maiori vniuersali afferente, & minori, & conclusione particularibus negantibus. Vocatur Baroco: concluditur hac ratione.

Scribentes bona carmina sunt hilares.

Potores aquæ hilares non sunt. (mina.

Potores ergo aquæ non scribunt bona car-  
Hi tantum sunt modi qui in secunda figura  
constantes sunt, & recte colligentes. In eadē  
tamē figura nil prohibet existere etiam alios  
præter hos quos recensui, cōsistentes, qui obli-  
que colligant sed corū nulla ratio habēda est.

*De modis qui conficiuntur in tertia  
figura. CAP. X.*

V T conficiatur syllogismus in tertia figura  
constās, necessariū est præter cōmunia om-  
nū figurarū duo seruare, Primū est ne mi-  
nor propositio sit negativa. Ratio est, quia ma-  
jor extrēmū distribueretur in cōclusionē, quod  
nō distribuitur in antecedēti, vt cū ita colligo

Omnis homo est substantia.

Nullus homo est arbor.

Ergo aliqua arbor non est substantia.

Liber quintus.

**A**lterum est, ne cōclusio sit vniuersalis: quia si id eueniat, minus extreum quod in antecedenti non distribuitur, in conclusione distribuetur, ut cūm ita colligimus.

Omnis homo est animal.

Omnis homo est substantia.

Ergo omnis substantia est animal.

**Q**uemadmodum autem in prioribus duabus figuris cōficiuntur decem & sex modi, sic etiam accidere potest in tertia figura. Et numer⁹ in hac figura eadē ratione inquiritur, qua ratione inuestigatur in duab⁹ figuris priorib⁹. Horū etiā mōdorum aliquot constantes sunt, aliquot incōstātes, si enim vtraque pars antecedētis vniuersalis sit, & affirmet vtraq;, fit cōstāsyllogismus in Darapti, hac ratione.

Omnis tyranni sunt improbi.

Omnis tyranni sunt locupletes.

Aliquis ergo locuples est improbus.

Si vero vtraq; neget inconstans efficitur syllogismus, quia ex utraque parte antecedētis negante nil colligitur.

Si maior sit vniuersalis afferēs, & minor vniuersalis negās, nil colligitur, quia in hac figura, ut mōstratū est, minori ppositione existē tenegatiua nihil colligitur. Si mutata ratione fiat, fit mod⁹ cōsistēs in Felaptō hac ratione.

Nulli

Nulli reges sunt improbi.

Omnis reges diuites sunt improbi.

Ergo aliquis diues non est improbus.

Si vtraque propositio particularis sit, siue affirmet vtraque, siue neget, siue affirmet una neget altera, nil colligitur, quoniā ex vtraque parte antecedētis particulari nihil infertur.

Quod si maior propositio sit vniuersalis: minor particularis, aut vtraque affirmat, & fit modus constans in Datisi, hac ratione.

Omnis tyrannus est improbus.

Aliquis tyrannus est diues.

Aliquis ergo diues est improbus.

Aut vtraque negat, & fit inconstans syllogismus, quia ex vtraq; parte antecedentis negante nil colligitur. Aut maior negat, & minor affirmat, & fit constans syllogismus in Falso, hac ratione.

Nullus rex est improbus,

Aliquis rex est diues.

Ergo aliquis diues non est improbus.

Si contra fiat, nil colligitur, quia minor propositio negat. Postremo si maior sit particularis, minor vniuersalis, aut vtraque affirmit, & fit ultimus syllogismus in Disamis, hac ratione.

Aliquis tyrannus est improbus.

Omnis tyrannus est diues.

Ergo

Ergo aliquis diues est improbus.

Aut utraque negat, & tunc nihil colligitur  
ut constat: aut maior afferit, & minor negat,  
& nihil similiter colligitur ex minori negati-  
ua: aut tandem maior negat, & minor afferit, & fit  
constans syllogismus in Bocardo, hacteratione.

Aliquis rex non est improbus.

Omnis rex est diues.

Ergo aliquis diues non est improbus.

Modi ergo qui constantes effici possunt in  
his tribus figuris, decem & nouem sunt: qui to-  
tidem dictiōnibus significantur, quas omnes  
cognoscet ijs versibus.

Barbara, Celarēt, Darij, Ferio, Baraliptō, Ce-  
lātes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorū, Cæsure  
Camestres, Festino, Baroco, Darapti, Felap-  
ton, Disamis, Datysi, Bocardo, Ferison.

*De reductione syllogismorum imper-  
fectorum ad perfectos.*

C A P. XL

**E**xplanatis quæ sunt à nobis de constitutio-  
ne syllogismorum tradita, superest dicere  
qua via & ratione syllogismi imperfecti sint  
ad perfectos, referendi. Verum ante aquā hoc  
expla

explanemus, pauca nobis in memoriam sunt  
reuocanda, quæ dixeramus superius, vnum  
est, quod syllogismus duplex est unus perfe-  
ctus alius imperfectus: syllogismus perfe-  
ctus est qui suapte natura usque adeò est a-  
pertus ut nullius alterius rei indigeat, ut ap-  
pareat necessario colligere conclusionem,  
tanta est connexio antecedentis & conse-  
quentis, & tamen exacta dispositio maioris at-  
que minoris propositionis. Sunt autem per-  
fecti syllogismi duntaxat quatuor illi, qui  
in prima figura recte colligunt, nempe Bar-  
bara, Celarent, Darij, Ferio. Syllogismus ve-  
ro imperfectus ille est, qui ut videatur euidē-  
ter colligere conclusionem, vnius, aut pluriū  
rerum indiget. Non enim tam apertus est,  
etiā si sit efficacissimus, ut non possit aliquo  
paecto aprior fieri, atque evidentior, quod  
initio hui⁹ libri diximus. Sunt modi imper-  
fici quindecim reliqui, quorum mentionem  
superius fecimus,

Si querat aliquis, quid sit reducere syllogis-  
mum imperfectū, is facile possit huius rei ra-  
tionē accipere: nihil enim aliud est, quā qui-  
busdam acceptis quā necessario aduersarius  
debet concedere, ex syllogismo imperfe-  
cto pfectū facere, atque coducere aduersariū,

Liber quintus.

ut concedat syllogismū perfectū legitimū non esse, nisi fateatur syllogismū imperfectū necessario colligere conclusionem.

Duobus autem modis syllogismus imperfectus ad perfectum reducitur. primum quidē ostensive ut inquit Arist. deinde per impossibile: ostensive reducitur syllogismus, quando per conuersionem, aut per transmutationem propositionum reductio fit. Nam hæc ratio tā plana atque aperta est, vt ostendere videatur, atque indicare digito qđ probare studemus. Per impossibile vero probatur syllogismus, quādo qui negat syllogismū in eas angustias conicitur, ut cogatur fateri aliquid, quod impossibile sit duo inquam cōtraria aut contradictoria vera esse. Sed vt intelligamus, quo pacto ostensive probari debeat modi imperfecti: & reduci ad perfectos paucis dicendum nobis est, qui imperfecti ad quos perfectos reducantur, & qua via hoc fieri debeat. Modus imperfectus ad illum perfectum reducēd⁹ est, qui habet similem consonantem initialem. Nā omnes imperfecti modi initio constant aliqua harum quatuor consonantium. B.C.D.F. quæ collocātur initio quatuor modorum perfectorū Barbara, Cela rent, Darij, Erijo.

Redu

Reducitur vero hoc pacto. In quauis dictio ne carum quibus modi significantur , existit aliqua istarum consonantium. S. P. M. C. vel plures: si sit. S. reducitur syllogismus qui in eo modo fit per simplicem conuersionem eius positionis, quæ significatur per literam vocalem quæ antecedit literam. S. si vero sit. P. re ducitur conuersa per accidens ea propositione quæ significatur per literam vocalem quæ antecedit. P. si autem sit. M. significat trāsimu tari propositiones debere, & quæ erat maior, efficiendam minorem esse, quæ verò minor erat, efficiendam esse maiorem. Postremo si sit C. & initium dictionis non sit, significat syllo gismum non ostensiue, sed per impossibile tā tum reducendum esse ad perfectum syllogisnum. Sunt id genus, Bocardo, & Baroco. Quare (ut ad peculiaria descendamus) Baraliptō reducitur ad Barbara, conuersa per accidens conclusione, cui adhæret litera. P. Celates ad Celarent cōuersa simpliciter cōclusione, quæ est vniuersalis negans: Dabitis ad Darij con uersa simpliciter conclusione particulari asse rente: Fapesmo ad Ferio conuersa per accidens maiori vniuersali assertente, & simpliciter minori vniuersali negante, & transmutatis partibus antecedentis: Frisesomorum, ad

R Ferio

Ferio conuersa simpliciter utraque parte antecedentis, atque etiam transmutatis eius partibus: Cesare ad Celarent conuersa simpliciter maiori propositione vniuersali negante.

Camestres ad Celarent conuersa minori propositione & conclusione simpliciter, atque insuper transpositis maiori & minori propositione: Festino ad Ferio conuersa simpliciter maiori propositione quæ est vniuersalis negans. Modus qui fit in Baroco, non reducitur ostensiuè ad aliquem modum perfectum, sed tantum per impossibile: de qua re dicturi sumus paulo inferius, Darapti, qui est primus modus tertie figuræ, reducitur ad Darij conuersa minori propositione, quæ est vniuersalis assertens per accidens. Felapton ad ferio conuersa etiam per accidens minori propositione. Disamis ad Darij, conuersa simpliciter maiori propositione, & conclusione, quæ sunt particulares assertentes: Datisi, ad Darij minori propositione conuersa simpliciter. Bocardo, ad nullum modum perfectum reducitur ostensiue, sed tantum per impossibile, quam rationem explicaturi sumus paulo inferius. Ferson ad Ferio reducitur conuersa minori propositione simpliciter.

Hæc ut plius constare possint: admodum necessarium fuerit, ut diligenter exercean-

tur, qui Dialecticam parare studet. Nos enim exemplum huius rei nullum adducimus, ne molesti lectori simus: & dum erga illum pergimus officiosi esse, eidem noceamus.

Sed dicamus iam quo modo ista reductione ostensiua aduersus proteruum, & qui negat legitimum esse syllogismum, nobis vtendum sit. Hoc vero ut doceamus, reuocadum in memoriam est, quod alibi à nobis est explicatum. Illud est, Quod colligitur ex consequenti bona consequentiæ, colligi etiam necessario ex antecedenti illius consequentiæ. v.g. Ex animali colligitur corpus: quia quod est animal corpus est, id est etiā colligitur ex homine, quia homo animal infert. recte enim colliges, est homo, ergo est animal, est animal, ergo est corpus, est homo, ergo est corpus: de primo ad ultimum, ut vulgo dicitur. Hæc igitur forma colligendi robur tribuit reductioni ostensiæ, qđ hac ratione persuaderi potest, ac debet, Sumamus maiorem & minorem propositionem cuiusvis modi imperfecti. v.g. huius modi Cæsare, atque ita ratiocinemur, maior & minor propositio in Cæsare infert maiorem & minorem propositionem eius syllogismi qui fit in Cælarem, ad quem modum perfectum Cæsare reducitur, qui est modus im-

R 2      perfec-

Liber quintus.

perfectus, quia vel prorsus eadem sunt vel cō  
uersa utraque; aut altera tantum eadem effi-  
ciuntur, sed ex antecedēti eius syllogismi qui  
fit in Celarem, colligitur ciudem syllogismi  
consequens, aut conclusio, ergo ex antecedē-  
ti syllogismi qui fit in Cēsare: quandoquidem  
est antecedens, ex quo infertur antecedēti syl-  
logismi in celarem: quod constat ex regula a  
nobis paulo superius explicata. Quare si cela-  
rem infert conclusioñem suam, infert etiā suā  
Cēsare, cum sit vel omnino, eadem cum cōclu-  
sione modi perfecti, ad quem reducitur: vel fa-  
cta conuersione, quę non efficit diuersam pro-  
positionem quod ad veritatem & falsitatē spe-  
ciat. Isto ergo pacto conuincemus aduersariū  
si neget syllogismum imperfectum esse legitī-  
mum, & eadem ratio accommodari debet cę-  
teris imperfectis syllogismis, cū ad perfectos  
referuntur, est enim eius vis eadē perpetuò.  
Hęc vero ratio aperta est, & quemuis facile  
conuincet, nisi nimium repugnantem animū  
erga veritatem gerat. Quod si rem diligenter  
inspicere velimus, dum ostensiū reducimus  
syllogismum imperfectum, illud probamus  
ratione, nisi syllogismus imperfectus legitī-  
mus sit, & recte conclusionem inferat perfe-  
ctum syllogismum non posse colligere suam

con-

conclusionem, cum utriusque syllogismi conclusio eadem ferè sit.

*De alio modo reducendi syllogismos.*

*CAP. XII.*

Præter reductionem illam ostensiua m cuius hactenus mentionem fecimus, alia etiā via suppetit nobis, quam nos Arist. docet, demonstrandi imperfectum syllogismum esse legitimum, ea est, deductio ad impossibile, quæ ea causa ita vocatur quod adducat respondentem in eas angustias, si neget syllogismū imperfectum esse legitimum, vt fateatur aliquid quod planè atque aperte sit impossibile, nempe duo contradictoria vera esse. Res exemplo adhibito plana reddetur. Negat quispiā hanc collectionem in Baroco legitimam esse.

Omnis A. est. B.

Aliquod. C. non est. B.

Ergo aliquod. C. non est. A.

Aduersus hunc ita differemus. Huiusmodi syllogismus vitiosus est: ergo conclusio nō recipitur ex antecedenti, evenire ergo potest, vt consequens falsum sit, ubi sit antecedēs

R 3 verum

Liber quintus.

verum: consequens falsum est, ergo eius cōtra dictorum est verum, neimpe omne. C.est. A. cum duo contradictoria vera simul esse non possint. Sūmo deinde maiorem propositionem huius syllogismi, atque ita conficio syllogismum.

Omne. A.est. B.

Omne. C.est. A.

Ergo omne. C.est. B.

Consequentia legitima est, quia hic syllogismus est perfectus in Barbara, & negari nulla ratione potest: antecedens autem est verū, cum altera pars sit contradictorium falsi: altera sit pars antecedentis veri, ergo & consequens verum est, videlicet omne. C.est. B. atqui eius contradictorium aliquod. C. non est. B.est etiam verum, cum sit pars antecedentis ex hypothesi veri, quare contradictoriava-  
ra sunt, quod est impossibile. Atque hoc solū euenit, quia aduersarius negat syllogismum imperfectum esse legitimum: ergo ille negari non debet, ne qui illū negat ad impossibile ducatur. Eadē ratio valet in cæteris syllogismis imperfectis, nisi quod interdum aduersarius cō deducitur, vt cōcedat duo cōtraria ve-  
ra esse, interdū duo cōtradicторia, sed idē om-  
nino vtrunq; est. in duobus enim modis tertię  
figurā.

figuræ. Darapti, in quam & Felapton contrarium colligitur: in ceteris modis, contradictorium. Item cum oppositum sumimus conclusionis quæ colligitur syllogismo imperfecto, ut conficiamus perfectum syllogismum, interdum sumimus contrarium, interdum contradictioni, iuxta varietatem figurarū. Sed de ea re plura fortasse dicemus inferius, quo tempore de reductione per impossibile, ut vulgo loquuntur, differemus. Postremo, animaduertendum est modis imperfectis primæ figuræ illud in esse peculiare, quod non inferantur syllogismoperfecto, qui fit ex altera parte antecedentis & opposito conclusionis imperfecti syllogismi proxime atque immediate oppositū alteri partis antecedentis, sed aliquid unde eius oppositū citra controvèrsiam inferatur. v.g. iste syllogismus in Baralipton.

Omnis avarus cupid.

Omnis senex est avarus.

Ergo aliquis qui cupid, est senex.

Sic reducitur.

Nullus qui cupid est senex.

Omnis avarus cupid.

Ergo nullus avarus est senex.

Conclusio hec non opponitur minori illi, p  
positio-

Liber quintus.

positioni, omnis senex est auarus, cū non par-  
ticipent vtroq; extremo ordine eodem, tamē  
illa eadem est cum ista, in quā simpliciter cō-  
uertitur, nullus senex est auarus, quæ est alte-  
rius propositionis contraria.

*De syllogismorum deductione ad im-  
possibile. CAP. XIII.*

**N**on est eadem ratio cognoscendi, ad quos  
perfectos syllogismi imperfecti reducan-  
tur per impossibile, cum ea ratione, quam  
sequuti sumus, vt illos ostensiūe reduceremus  
sed diuersa potius, quam, vt doceamus, primū  
omnium animaduertendum est: quod quin-  
que modi imperfecti primæ figuræ significā-  
tur ista voce, Nesciebatis. quatuor secundæ,  
ista, Odiebam. sex vero tertix, ista Lætare Ro-  
manis. Quas sane voces Dialectici excogita-  
uerunt, vt hanc rem facilius, atque etiam me-  
lius expedirent. Deinde vt sunt syllogismi  
imperfecti primæ figuræ quinque, ita quoq;  
illa vox nesciebatis, quinque vocalibus con-  
stat: quarum singulæ singulis modis accōmo-  
dantur eo ordine, quo modi referri solent. se-  
cunda dictio quatuor vocalibus efficitur, que  
qua

quatuor modis imperfectis respondent ordi-  
ne illo quo modi a nobis commemorati sunt.  
Idem quoque de tertia voce sentiendum est,  
quæ modis tertiae figuræ imperfectis accōmo-  
datur. Tertio, si vocalis sit A. significat pro-  
positionem vniuersalem afferentē. Si. E. vni-  
uersalem negantem. Si. I. particularem affe-  
rentem. Si. O. particularem negantem, ut di-  
ximus libro secundo. Singuli ergo modi im-  
perfecti reducentur per impossibile ad cū mo-  
dum perfectum qui habet conclusionem talē  
& tantam, qualis & quanta significatur per  
vocalem, quæ illi modo respondet. v. g. quia  
E. accommodatur Baralipton modus ille refe-  
tur ad Cælarem, cuius conclusio est vniuersa-  
lis negans. Celantes qui significatur vocali. I  
reducitur per impossibile ad Darij cuius con-  
clusio est particularis afferens. Dabitis, cui ac-  
commodatur. E. reducitur ad Celarem, cuius  
conclusio est vniuersalis negans, Fapesmo, cui  
accommodatur. A. reducitur ad Barbara cu-  
ius conclusio est vniuersalis afferens. Frisso-  
morum, cui accommodatur. I. reducitur ad  
Darij, cuius conclusio est particularis afferēs  
Cæsare primus modus secundæ figuræ, cui ac-  
commodatur. O. reducitur ad Ferio, cuius co-  
clusio est particularis negans. Camestres, cui

Liber quintus.

accommadatur. I. reducitur ad Darij cuius conclusio est particularis ait c̄rēs. Festino, cui accommodatur. E. reducitur ad Cēlarem, cuius conclusio est vniuersalis negans. Baroco, cui accommodatur. A. reducitur ad Barbara, cuius conclusio est vniuersali afferens. Darapti primus modus tertiae figuræ cui accommodatur. E. reducitur ad Celarem, cuius cōclusio est vniuersalis negans. Felapton, cui aconimodatur. A. reducitur ad Barbara. Disamis cui accommodatur. E. reducitur ad Celarem. Datī si cui accommodatur. O. reducitur ad Ferio. Bocardo cui accommodatur. A. reducitur ad Barbara. Ferison, cui accommodatur. I. reducitur ad Darij.

Reliquū est, vt doceamus qua ratione ad impossibile ducēd̄ sit is, qui negat syllogismum imperfectum in quauis figura esse legitimū. In modis quidē secund̄ figurę cū reducūtur p̄ impossibile, retinēda maior p̄positio est, & accipēdū oppositum conclusionis pro minori, & inferendum oppositum minoris. v.g. conficit quispiam hunc syllogismum in Cēlare,

Nullus lapis est animal.

Omnis homo est animal.

Ergo nullus homo est lapis.

Hunc si negat aduersarius, ad impossibile  
hac

hac ratione deducitur: Retinebimus maiore propositionem, & ex contradictorio conclusionis efficiemus minorem, & inferemus conclusionem in Ferio, oppositam minoris propositionis hoc modo.

Nullus lapis est animal.

Aliquis homo est lapis.

Ergo aliquis homo non est animal.

Cum ergo hic syllogismus non possit non probari (est enim perfectus) & antecedens sit verum ex hypothesi, conclusio procul dubio vera est. Sed contradicit minori propositioni prioris syllogismi, que est etiam vera ex hypothesi quare duo contradictoria efficiuntur vera si neget quispiam syllogismum imperfictum esse legitimum. Eadem etiam ratio accommodari facile potest ceteris modis.

At vero cum modi tertiarum figure deductione ad impossibile ad perfectos reducatur, minor positione retineri debet, & ex opposito conclusionis effici maior. atque ita infertur oppositum maioris. v.g. hic syllogismus in Darapti.

Omne animal est corpus.

Omne animal est homo.

Ergo aliquis homo est corpus.

Hoc modo reducitur ad Celarem.

Nullus homo est corpus.

Omne

Omnis animal est homo.

Ergo nullum animal est corpus.

Vtrunque vero commemoratum à nobis documentum duobus illis rusticis carminibus significatur: Seruat maiorem, variatq; secunda minorem. Tertia maiorem variat, seruatque minorem. Syllogismi autem imperfecti primę figurę non referuntur eadem ratione ad perfectos sed diuersa, nam ut Baralipton, Dabitis Fapesino, Frisesomorum, reducatur necessarium est ex opposito conclusionis efficeremaiorem: & ex maiori minoreni, atque ita colligere oppositum maioris. Id vero non immediatè sit sed facta conuersione conclusionis. v.g. *Si omnis homo est animal, ergo animal est omnis homo.*

Omnis pigmæus est homo.

Ergo aliquod animal est pigmæus.

Reducitur enim ad Celarem hoc modo.

Nullum animal est pigmæus,

Omnis homo est animal.

Ergo nullus homo est Pigmæus.

Hæc enim propositio nullus homo est pigmæus non est contraria minoris propositionis prioris syllogismi, eius videlicet, Omnis pigmæus est homo, at efficitur contraria conuersione simplici, nullus pigmæus est homo, Syllogis-

logismus confectus in celantes illud habet  
peculiare, ut ex opposito conclusionis minor  
effici debeat, atque ex minori propositione  
maior, ex quibꝫ infertur propositio unde col  
ligitur oppositum maioris propositionis hac  
ratione.

Nullum animal est lapis.

Omnis homo est animal.

Ergo nullus lapis est homo.

Fit enim syllogismus in Darij sic,

Omnis homo est animal.

Aliquis lapis est homo.

Ergo aliquis lapis est animal.

Recte enim sequitur, aliquis lapis est ani  
mal, ergo aliquod animal est lapis, quando  
quidem propositio particularis assertio in se  
ipsam conuertitur.

Hac tamen omnia. quæ de reductione syl  
logismorum imperfectorum ad perfectos di  
ximus, vsu atque exercitatione facillimedi  
cuntur. quamobrem de ea re, quæ trādidim⁹  
præcepta satis superq; esse poterunt, si diligē  
ter à nobis inspiciantur.

*Sententia Aristo. de syllogismis.*

*CAP. XIII.*

Arist.

Liber quintus.

Aristoteles cap. 7. lib. 1. de priori resolutio  
ne nonnulla refert necessaria ad constitu-  
tionē cuiusvis syllogismi, quę ob eā cau-  
sam eo loco præsupposita appellat. Horū pars  
quædam à nobis explanata est hactenus, reli-  
qua est pars alia, quam explicare necesse sit.  
Ea vero duobus præceptis tota constat. Vnū  
est syllogismus tribus tantum terminis cōsta-  
re debet. Quæ Arist. sententia, tametsi ve-  
vera sit, si ad syllogismum simplicem refera-  
tur, falsa quidem est, si accommodetur syllo-  
gismo aucto. is enim syllogismus nō tribus tā  
tum, sed pluribus terminis constat. Est autē  
auctus syllogismus, qui aut termino aliquo  
vel propositione assumpta, præter communē  
modum crescit, atque augetur. hoc fit ma-  
xime, cū vel minori ppositioni vel maiori di-  
ctionē aliquam addimus, qua eius propositio-  
nis faciamus fidem ut cum ita colligimus.

Omnis homo ex capax disciplinæ.

Quia est animal rationale.

Ergo Socrates est capax disciplinæ

Vel hoc pacto.

Omnis homo est capax disciplinæ.

Socrates est homo, quia est animal ra-  
tionale.

Ergo Socrates est capax disciplinæ.

Vel

Vel hac ratione.

Omnis homo est capax disciplinæ

Quia est animal rationale. (le)

Socrates est hō, quia est animal rationa-

Ergo Socrates est capax disciplinæ.

Nam cum syllogism⁹ auctus virtute & po-  
testate, non vnius tantum syllogismus sit, sed  
potius multi, nihil prohibet pluribus, quam  
tribus terminis constare.

Alterum quod Aristoteles refert loco citato est  
appositionū alias facile colligi syllogismo, a-  
lias difficile. Hoc ut reddam⁹ apertius, cōsi-  
derādū est illā appositionē facilis colligi pos-  
se syllogismo, quę in pluribus figuris collig-  
itur, & p̄terea plurib⁹ modis eius figure. Cum  
autē quatuor sint genera appositionū quę syl-  
logismo colligitur, vniuersalis assertens, vni-  
uersalis negās, particularis assertens, particula-  
ris negās, appositiō vniuersalis assertens diffi-  
cilime omnīū syllogismo colligitur, quia so-  
lum in primo modo primę figure propositio  
particularis negans omnium optimē, & fa-  
cili me syllogismo colligitur: quia in trib⁹ fi-  
guris, atque in pluribus modis secundę & ter-  
tię, in uno vero tantum primitivę, ad hanc acce-  
dit particularis assertens, nam in prima figu-  
ra colligitur, & multis modis tertię vniuer-  
salis

**Liber quintus.**

salis aut negans in prima tantum & secunda figura, quod poterit quiuis intelligere, si ve-  
lit abire per singulos modos trium figurarū.  
Vnde sequitur aperte propositionem vniuer-  
salem affirmantem difficile construi, facile  
vero & nullo negotio destrui,

Construitur propositio, cum ratione pro-  
batur vera: destruitur, cum syllogismo proba-  
tur falsa. Cum enim propositio vniuersalis af-  
ferens uno tantum modo primæ figurę colli-  
gatur, difficile construitur, hoc est, vera proba-  
tur: facile vero destruitur, hoc est, probatur fal-  
sa. quia per particularem negantem, & vni-  
uersale negantem destruitur, quę facile syllo-  
gismo colliguntur: nam cum duo cōtradic̄to-  
ria nō possint vera esse, neque etiā duo con-  
traria: quādo vniuersalis aut particularis ne-  
gans vera efficitur, vniuersalis afferēs fit fal-  
sa. Propositio vero particularis negans faci-  
le construitur, difficile destruitur, quod con-  
traria ratione persuaderi facile potest: vni-  
uersalis negans & particularis afferens me-  
dium locum tenent.

*Qua ratione inuestigetur mediū ad  
colligendum quodvis genus propo-  
sitionū, CAP.XV.*

Dixi-

**D**iximus proximo capite quaduplex esse genus propositionum quæ syllogismo colliguntur, nunc verò paucis dicturi sumus, quo medio termino singula genera prædictarum propositionum inferantur syllogismo, aut ratiocinatione. Hanc veteres artem inueniendi mediū vocant: Sophistę vero pōtem asinorum. Quam rem tam spinose tractā uerunt, ne dicam bestialiter ut difficile percipi possit. Nos vero hanc ipsam rem paucis appetiemus. quatuor namq; præceptis compendio explicabitur, quod quatuor sint diuersa genera propositionum. Verum antea quā præcepta illa tradamus, admonere paucis oportet, quis terminus dicatur antecedens, quis cōsequēs, qui disparati: hoc enim necessariū est initio dicere, ut documenta quæ suppeditatūri sumus, intelligantur.

Ille terminus consequens vocatur, qui ex altero infertur, huiusmodi est genus, si comparetur ad speciem. & species si cum individuo cōferatur: & denique omnis termin⁹ cōmuni⁹ si referatur ad terminū min⁹ cōmuni⁹. recte ita colliges, est Socrates, ergo est homo: est homo ergo animal. Antecedēs est terminus, qui alterū infert. Est huiusmodi omne nomen inferi⁹ ad superius comparatum, ut adhibitis exem  
S plis

Liber quintus.

plis constat. Termini vero pares, quos vulgo cōuertibiles appellāt, inuicē sunt antecedēs & cōsequens, vt homo & suscepitiū disciplinā, quoniā vicissim retrō commincant, & mutuo colligūtur. Disparati vero termini illi vocātur, quorū vñus alteri inesse nullo pacto potest, vt homo & lapis, & similes termini. Hac re vtcūque explanata, statuuntur aliquot regulę, quarū prima est. Si velis colligere syllogismo propositionē vniuersalē afferentē accipe pro medio ad cā inferendā terminum qui sit consequens subiecti, & antecedens prædictati, hoc est terminū quē inferat subiectū, & qui inferatur ex prædicato. v.g. vis colligere hanc propositionē, omnis homo est animal, accipe istud nomen sensibile, quod est superioris homine, & æquale animali, & colliges eam propositionem hoc pacto.

Omne sensibile est animal.

Omnis homo est sensibilis.

Ergo omnis homo est animal.

Idem quoque efficies sumpta quacunque alia propositione vniuersali.

Secunda regula. Si velis colligere propositionem particularem afferentem, accipe medium terminum, qui sit antecedens subiecti, & prædictati. verbi. g. vt inferamus hanc proposi-

positionem, aliqua substantia est incorruptibilis, capiamus pro medio termino spiritum ut inferat substantiam atque etiam incorruptibile, & ita colligetur in tertia figura, hoc pacto,

**Aliquis spiritus est incorruptibilis.**

**Omnis spiritus est substantia.**

**Ergo aliqua substantia est incorruptibilis.**

**Vel hoc pacto.**

**Omnis spiritus est incorruptibilis.**

**Aliquis spiritus est substantia.**

**Ergo aliqua substantia est incorruptibilis.**

**Rursum etiam in prima figura hac ratione,**

**Omnis spiritus est incorruptibilis,**

**Aliqua substantia est spiritus.**

**Ergo aliqua substantia est incorruptibilis.**

**Rertia regula.** Si velis inferre propositionē uniuersalē negantem, accipe pro medio terminū qui sit consequens subiecti & extraneū prædicati, vel cōsequens prædicati, & extraneū subiecti. v.g. hāc propositionē, nullus homo est equus, syllogismo colliges, si sumas hominis finitionē, animal rationale, hoc pacto,

**Nullum animal rationale, est equus.**

**Omnis homo est animal rationale.**

S 2 Ergo

Liber quintus

Ergo nullus hō est equus. in prima figura.

In secūda vero figura hoc modo colligitur.

Nullus equus est animal rationale.

Omnis homo est animal rationale.

Ergo nullus homo est equus.

Quarta regula. Si velis colligere syllogismō pro positionem particularem negātem, sume pro medio terminum qui sit antecedens subiecti & extraneum prēdicati. v.g. cupim⁹ inferre hanc ppositionem, aliquod animal nō est hō. accipiemus nomē brutū, quod antecedit animal, & pugnat cum homine, & hac ratione efficiemus syllogismum in prima figura.

Nullum brūtū est homo.

Aliquod animal est brūtū.

Ergo aliquod animal non est homo.

Item in secunda figura hoc modo.

Nullus homo est brūtū.

Aliquod animal est brūtū.

Ergo aliquod animal non est homo.

Item in tertia figura hac ratione.

Nullum brūtū est homo.

Omne brūtū est animal.

Ergo aliquod animal non est homo.

Ista ergo via facile reperiemus medium, quo inseriamus singula genera propositionum, & hic sane maximus fructus est, quem nobis posuit

possit suppeditare syllogismorum cognitio.

**De potestatibus syllogismorum.**

**C A P . X V I .**

Aristoteles in libris priorum preter ea, quæ explicuitus, quædam docet, quæ syllogismis efficiuntur. Vocat illa potestates syllogismorum. Sex vero potestates commemorat, quæ sunt à nobis antequam hinc discendimus explanandæ.

Primum quidem syllogismis inest facultas aut potestas plura colligendi. Plura vero dicuntur colligere syllogismus, interdum ratione conclusionis, interdum ratione propositionis minoris, ut cum ita dicimus.

Omne animal est homo.

Omnis equus est animal.

Ergo omnis equus est homo.

Nam ut colligitur hæc propositio, colligi etiam potest quævis alia species animalis hoc modo.

Omnis leo est animal.

Ergo omnis leo est homo.

Ratione conclusionis contingit duplice nomine syllogismum plura concludere, Pri-

Liber quintus.

¶ sicut quia ut syllogismus infert propriam cōclusionem, ita quoque infert eam propositio-  
nem, in quam conclusio conuertitur, aut sim-  
pliciter, aut per accidens, hoc pacto.

Omne animal rationale est risibile.

Omnis homo est animal rationale.

Ergo omnis homo est risibilis.

Et aliquod risibile est homo.

Deinde etiam concludit syllogismus suam  
conclusionem: & colligit eius conclusio, hoc  
pacto.

Omne animal rationale est risibile.

Omnis homo est animal rationale.

Ergo omnis homo est risibilis.

Petrus est homo.

Ergo petrus est risibilis.

Item etiam syllogismus qui infert conclu-  
sionē vniuersalem, infert etiam particularē  
comprehensam sub ea vniuersali. Omnia ve-  
rò hæc ex eo robur accipiunt, quod est à nobis  
paulò superius scriptum, quod sequitur ex cō  
sequenti legitime consequentiæ. colligitur e-  
tiam ex eius antecedenti.

Secundo inest syllogismo posse colligere  
ex falsis interdum veram conclusionem, in-  
terdū falsam. Verū autem non infertur ex fal-  
sis tanquā ex causa, quia falsum nō potest esse  
cau-

causa veri, sed ratione connexionis & vinculi partium antecedentis: ut cum ita colligo.

Omne animal est arbor.

Platanus est animal.

Ergo platanus est arbor.

Tertio inest syllogismo circulariter syllogizare, vel idem ex se inuicem ostendere: hoc autem nihil aliud est, quam ex conclusione & conuertente alterutrius partis antecedentis alteram partem inferre. v.g.

Omne animal rationale est risibile.

Omnis homo est animal rationale.

Ergo omnis homo est risibilis.

Ita enim circulariter colligitur antecedens

Omnis homo est risibilis.

omne animal rationale est homo.

Ergo omne animal rationale est risibile

Præterea.

Omne risibile est animal rationale.

Omnis homo est risibilis.

Ergo omnis homo est animal rationale

Verum illa circularis collectio tantum contingit ubi propositiones efficiuntur paribus aut conuertilibus terminis.

Quarto inest syllogismo facultas syllogizandi conuersiæ. Est autem colligere conuersiæ ex opposito conclusionis cum altera parte

Liber quintus.

antecedentis reliquam tollere. verbi gra. maior huius syllogismi.

Omne animal est substantia.

Omnis homo est animal.

Ergo omnis homo est substantia.

Sic colligitur conuersuē,

Nullus homo est substantia.

Omnis homo est animal.

Ergo aliquid animal non est substantia

In Fclapton.

Illud enim certum est maiorem propositio nem syllogismi in prima figura interimi in tertia figura ex minori & opposito cōclusio nis: minor vero interimitur in secūda figura ex maiori, & opposito conclusionis. minor enim syllogismi propositi hoc pacto interi-

Omne animal est substantia. (mitur

Aliquis homo non est substantia.

Ergo aliquis homo non est animal.

Maior propositio syllogismi effecti in secun da figura interimitur in tertia figura, si ex mi nori propositione fiat maior & oppositum cō clusionis minor efficiatur. v.g

Nullus lapis est animal.

Omnis homo est animal.

Ergo nullus homo est lapis.

Hoc pacto.

Om-

**O**mnis homo est animal.

**A**liquis homo est lapis.

**E**rgo aliquis lapis est animal.

**I**n Datili.

**M**aior perimitur in prima figura ex maiori prioris syllogismi, & opposito conclusionis hoc modo.

**N**ullus lapis est animal.

**A**liquis homo est lapis.

**E**rgo aliquis homo non est animal.

**M**aior vero syllogismi confessi in tertia signa perimitur in prima, ex minori & oppone-  
to conclusionis. v.g.

**O**mnis homo est animal.

**O**mnis homo est risibilis.

**E**rgo aliquod risibile est animal.

**H**oc modo.

**N**ullum risibile est animal.

**O**mnis homo est risibilis.

**E**rgo nullus homo est animal.

**I**n Celarem.

**M**inor perimitur in secunda figura, maiori propositio posita loco minoris, hac ratione.

**N**ullum risibile est animal.

**O**mnis homo est animal.

**E**rgo nullus homo est risibilis.

**Q**uinto inest syllogismo facultas syllogizan-

S 5 di

Liber quintus.

di per impossibile. hoc cōtingit quādō sequitur aliquod impossibile , si propositio aliqua negetur . verbi. gra. si quispiam dicat falsam esse hanc propositionem , omnis homo est risibilis , hac via refelletur .

Omne animal rationale est risibile .

Et aliquis homo non est risibilis .

Ergo aliquis homo non est animal rationale .

Consequentia quidem legitima est , & consequens planè falso , quare & antecedens : at qui non maior cum sit manifeste vera , ergo minor , ergo eius contradictorium , nempe omnis homo est risibilis , verum est , quod tu falso putabas , aut duo contradictoria falsa erunt , quod est omnino impossibile .

Verum ut hic syllogismus fiat , necessarium est cum opposito propositionis quæ putatur falsa capere propositionem manifeste veram . Deinde hęc potestas differt à proxima licet vtraque deducat ad possibile , quod illa non potest exerceri , nisi sumamus prius syllogismum , hęc vero optimę , ut superiori exemplo constituit .

Postremò inest syllogismo facultas colligēdi ex oppositis hoc accidit quotiescūq; ex cōtrarijs , vel cōtradicторijs colligo conclusionē in qua

qua idem de se ipso negatur. Ex subcontrarijs, enim non fitsyllogismus, quia ex particularibus nihil colligitur, ut cum sic ratiocinamur.

Omnis homo est substantia.

Et nullus homo est substantia.

Ergo nullus homo est homo.

### In Camestres.

Vtimur vero hac forma colligendi aduersus eos qui vel consultò, vel tenere, vel nihil simile cogitantes concedunt duo contraria: vel contradictoria. Facile enim refelluntur, cum ex ea opinione sequatur tām aperte falsum quām est idem negare de scipso.

### *De tribus syllogismorum defectibus.*

#### CAP. XVII.

A Rrist. libro secundo de priori resolutione postquam rationem docuit conficiendi syllogismum, ostendit etiam vitia, quæ inesse solent syllogismis. Eiusdem enim artificis est virtutes rei monstrare, atque etiam vitia. Sunt autem vitia syllogismorum tria de quibus est nobis in presentia nō nihil dicēdū. Vnū vocatur petitio principij. Hoc vitiū accidit, quādo nō probatut quod probari debuit: quo ianm

Liber quintus

niam ad fidem rei dubiae faciendam dubium  
etiam accipimus, cum oporteat capere, quod  
notius est, atq; planius. ut si quispiam collige  
ret animal rationale esse capax disciplinæ,  
quia omnis homo est capax disciplinæ, hac ra  
tione,

Omnis homo est capax disciplinæ.

Omne animal rationale est homo.

Ergo omne animal rationale est capax  
disciplinæ.

Medium enim quo utimur ad fidem facien  
dam tam obscurum est, quam conclusio. Re  
prehendi igitur debet omnis ille syllogismus  
in quo petitur principium.

Alterum vitium est, quotiescumque causam  
cur falsa conclusio sit imputamus alicui parti  
antecedentis, quæ causa non est cur conclusio  
falsa sit. Vocatur ab Arist. istud vitium non  
propter hoc accidere falsum: ut cum ita colli  
gimus.

Socrates differit.

Omne animal est homo.

Brutum est animal.

Ergo brutum est homo.

Si enim quispiam falsam putaret conclusio  
nem, quia prima propositio falsa est, in hoc vi  
tium incurret. Non enim falsa conclusio est  
quod

quod prima propositio sit falsa, cum ad syllo-  
gismum nullo modo pertineat, sed quia falsa  
est maior propositio, quæ est causa cōclusionis.

Tertium vitium appellatur fallacia cōtra-  
riæ opinionis, accidit vbi quispiam ( nihil si-  
mile cogitans) ea admittit ex quibus colligū-  
tur duo contraria, aut contradicторia vera.  
v.g. si quis dicat sensibile inesse animali, non  
inesse homini, adducetur ad istud vitium cō-  
trariæ opinionis, hoc pacto.

Omne animal est sensibile.

Omnis homo est animal.

Ergo omnis homo est sensibilis.

Ille enim cogitur syllogismo concedere cō-  
clusionem. Est enim ratiocinandi forma legi-  
tima, & antecedens verum, ergo & consequēs  
sed contradictorium ille concesserat, dum di-  
ceret sensibile non inesse homini, quare duci-  
tur ad hoc vitium.

*De syllogismis qui ex obliquis efficiun-  
tur. CAP. XVIII.*

Syllogismus duplex est, unus rectus, alias o-  
bliquus. rectus ille est, qui ex casibus rectis  
efficitur, de quo hactenus à nobis disputa-  
tum

Liber quintus

tum est: obliquus casibus constat obliquis, de quo est nobis in præsentia differendum, & ostendum, qua ratione collectio efficienda sit, quando unus aut plures casus obliqui existunt in antecedenti cuiuspiam syllogismi sed. de hac re duo potissimum precepta statuuntur, Vnum est, ubique casus obliquus pertinet ad alterum extremon, maius in quam auct minus, idem obliquus casus in conclusione collocandus est. ut cum ita colligimus.

Omnis equus est hominis.

Bucephalus est equus.

Ergo Bucephalus est hominis.

Aut hac ratione.

Omnis equus est animal,

Alexandri est equus.

Ergo Alexandri est animal.

Alterum preceptum pertinet ad explicandum quo pacto debeant colligere syllogismi in quibus medius terminus est obliquus: & quoniam de hac re firmum aliquod documentum exhibere ingens negotium est, profuerit maximè aures consulere: & mentis iudicium adhibere: fit. n. interdū ut mediū in maiori ppositione obliquus casus sit, ut cū ita dicimus.

Omnis hominis est equus.

Petrus est homo.

Ergo

Ergo Petri est equus.

Interdum medium in minoritātū propositione est casus obliquus. v.g.

Omnis homo est animal.

Equus est hominis.

Ergo equus est animalis.

Interdum in utraq; propositione est obliquus casus verbi gratia.

Nullus leo est hominis.

Omnis equus est hominis.

Ergo nullus equus est leo.

Præterea syllogismus confici potest ex omnigenere obliquorum casuum. Genitio casu constat hic syllogismus.

Omnis rei est scientia.

Homo est.

Ergo hominis est scientia.

Datiuo, hic.

Cuius homini inest sensum ratione regere.

Tu homo es.

Tibi ergo inest regere sensum ratione.

Accusatiuo hic.

Omnes homines iudicabit deus.

Reges homines sunt.

Reges ergo iudicabit.

Ablatiuo hic.

Ab

Liber quintus.

Ab omni specie peccati cauere debet  
christianus.

Linguæ petulantia species peccati est.

Ergo christianus cauere debet, ne petulans  
in loquendo sit.

Quanquam autem verum sit quod diximus  
conculendas esse aures in huiusmodi syllogis-  
mis, tradi duæ regulæ aptæ ad colligendum po-  
terunt. Una est, in omni syllogismo afferente  
cuiusvis figuræ fuerit cum medium est obli-  
quus casus, extremum illud quod in antecedente  
ponitur cum medio recte, in conclusio-  
ne oblique existet. v.g.

Omnis homo est animal.

Equus est hominis.

Ergo omnis equus est animalis.

Non autem hoc pacto.

Ergo omnis equus est animal.

Alterius partis exemplum sit.

Cuiusvis hominis est equus.

Cesar homo est.

Ergo Cesaris est equus.

Non autem sic.

Ergo Cesar est equus.

Secunda regula, In omni syllogismo negan-  
te cuiusvis figuræ, si pars antecedentis que ne-  
gat, constet obliquo casu, conclusio etiam  
oblique

**obliquo constabit. v.g.**

Nullius animalis est eterna vita.

Homo est animal.

Ergo hominis non est vita eterna, id est non vivit perpetuo in corpore, sed moritur aliquando.

At vero si pars antecedentis quem afferit, obliquo casu constet, negatiua vero pars recto casu, non perinde collectio fiet: non enim recte colliges.

Nullus homo est Deus.

Equus est hominis.

Ergo equus non est Dei.

Vt plane constat. sed hoc modo.

Ergo equus est alicuius qui non est Deus.

Sed de hac re haec sint satis.

*De alijs syllogismorum diuisionibus.* C. A P. XIX.

**S**yllogismus, praeter illos modos qui sunt à nobis cōmemorati, multis etiā alijs dividitur, maximè verò in duas partes, in syllogismū, inquam, categoricū, aut simplicē, & hypotheticū seu coniunctū. Categoricus syl-

T logis-

## Liber quintus

Logismus est qui propositionibus categoricis constat: cuius exempla multa à nobis hactenus suppeditata sunt. hypothetic⁹ est qui altera parte hypothetica constat, maiori inquam aut minori. Hic est triplex duntaxat, coniunctus, disiunctus copulatus, hoc est conditionalis, disiunctiu⁹, copulatiu⁹, sumpta appellatio ne à ppositione hypothetica qua constat. De his erat nobis in presentia differendum, sed quoniam omnia quæ ad hanc rem attinent, dividimus libro secundo summæ, cum de propositionibus hypotheticis ageremus, cōsulto hoc loco nihil dicimus, ne occidamus miserum lectorem crambe (ut dicitur) repetita. Qui rē volet intelligere adeat illum locum, facile inde accipiet sex differentias syllogismorū hypotheticorum quas nullo negotio conferre poterit in hunc locum.

Alio etiam modo syllogismus diuiditur, & differētia hęc sumuntur ex materia, alius enim est syllogismus demonstratiuus, alius dialekticus, sophisticus alius. Syllogismus demonstratiuus est qui ex causis primis infert conclusio nem. v.g. ex his quæ ducuntur ex primis ut si quispiam colligat hominem esse risibilem, quod sit animal ratione præditum, hoc modo omne animal rationale est aptum ad ridendū  
omnis

omnis homo est animal præditum ratione,  
ergo omnis homo est aptus ad ridēdum. Hic  
autem syllogismus maximè conductit ad sci-  
tiam rerum comparandam siquidem tunc sci-  
mus, cum causam cognoscimus, propter quā  
res est. Et scientia est habitus comparatus per  
demonstrationem. Syllogismus dialecticus  
est qui ex probabilitibus colligit cōclusionem.  
Sunt autem probabilia quæ videntur omni-  
bus, aut pluribus, aut sapientibus ut cum colli-  
gimus Medeam non interfecisse proprios li-  
beros, quod eorū mater esset, id.n.vulgò pro-  
batur. Syllogismus sophisticus est qui colligit  
conclusionem ex his quæ videntur probabi-  
lia, non sunt tamen. v.g.

*Quod ego sum, tu non es.*

*Ego sum homo.*

*Ergo tu non es homo.*

### *De syllogismis expositorijs.*

#### *CAP. XX.*

PRAETER illos modos quibus syllogismus diui-  
sus est, quadam alia ratione diuidi potest,  
ita ut syllogismū dicamus esse duplē vnū  
cōmunē, quicostat ppositionibus cōmunibus,  
vulgo appellatur syllogismus ē medio cōmuni-

Tera aliis

Liber quintus.

alius vero syllogismus est ex proprijs, qui cōstat propositionibus singularibus, & appellatur passim expositorius, quoniam seruit exponendo syllogismo communi, si aliqua ratione obscuris propositionibus efficiatur. De priori genere syllogismorum Aristoteles multa differit, quorum partem aliquam nos habemus persequuti sumus, posterioris vero generis pauca admodum scribit Aristoteles capite sexto libri primi, quo capite de tertia figura differit, nam probat syllogismum tertię figuræ per expositionem. Hic n. syllogismus

Omnis homo sentit.

Omnis homo est animal rationale.

Ergo aliquid animal rationale sentit.

Per expositionem sic probatur ab eodem.

Socrates sentit.

Socrates est animal rationale.

Ergo aliquid animal rationale sentit.

Iteim, quo capite agit de conuersione propositionis vniuersalis negantis, eodem genere syllogismi vtitur. Potest autem ita definiiri, syllogismus proprius, aut expositorius est qui propositionibus constat singularibus.

Hic, tametsi reclament Sophistæ, qui intertia tantum figura fieri putant, in omnibus tribus figuris efficitur: & in singulis figuris duo

exi-

existunt secundum affirmationem & negationem dispositi. Primus modus in prima figura sic colligitur.

Carolus est haeres relictus à Philippo.

Tu es Carolus.

Ergo tu es haeres relictus à Philippo.

Secundus modus hoc pacto.

Ioannes non est Philippi filius.

Tu es Ioannes.

Ergo tu non es filius Philippi.

Primus modus secundæ figuræ sic colligit.

Paulus non est vietus à Boibonio,

Clemens est vietus à Boibonio.

Ergo Clemens non est Paulus.

Secundus vero hac ratione colligit.

Carolus cœpit Aphrodisium,

Franciscus non cœpit Aphrodisium.

Ergo Franciscus non est Carolus.

Primus modus tertię figurę hoc pacto conclusionem infert.

Philippus est admodum liberalis.

Philipus est admodum iustus.

Ergo admodum iustum admodum librale est.

Secundus demum modus tertiae figuræ hoc modo colligit.

Carolus regnare noluit:

Liber quintus.

Carolus est Imperator.

Ergo Imperator regnare noluit.

Proprius igitur syllogism⁹ qui expositori⁹  
vulgo vocatur, in tribus (vt appareat) figuris ef-  
ficitur, & inde maximè vim accipit, si sit affir-  
matiu⁹ quod quæ sunt eadem vni tertio, sunt  
eadem inter se. Si vero sit negatiu⁹, inde fir-  
mitatem sumit, quod quæ nō sunt eadem vni  
tertio neque inter se sunt eadem, vt volenti rē  
ipsam considerare planum esse poterit.

*De tribus alijs formis differendi.*

*CAP. XXI.*

**I**N TIO huius negotij diximus quatuor esse  
formas colligendi vnum ex altero: haec enus  
principem illam, quam appellant syllogis-  
mum, persequuti sumus, nunc de tribus reli-  
quis est differendum, quantum loci huius, at-  
que temporis ratio videtur postulare. in pri-  
mis vero de inductione dicemus. Inductio, vt  
obiter attigimus cum de ascensu tertia parte  
terminorum ageremus, est argumentatio in  
qua ex singularibus sufficienter enumeratis  
vniuersale colligitur, verbi gratia. Plebs, &  
Senatus, & Equestris ordo de te magnifice sen-  
tit,

tit, ergo ciuitas vniuersa. Nominе vero singu-  
lariū non solū significo indiuidua, sed etiā  
quæ minus communia sunt. Nam inferiora si-  
cum superioribus conferantur, singularia cen-  
senda sunt. Est autem necessarium, vt induc-  
tione recensentur, aut numerentur omnia  
quæ sub vniuersali comprehensa sunt: nam si  
quidpiam prætermissum sit, nullam vim ha-  
bet inductio. Sed quoniam interdum laborio-  
sum admodum est singularia sub vniuersali  
contenta recensere particula quædam addi-  
solet qua significam reliquas partes eodē mo-  
do se habere: ea est & in ceteris simili modo.

Habet inductio illud cum syllogismo com-  
mune, vt sit vtraq; ratio argumentandi pro-  
pria dialecticorum: sed syllogismus maximè  
pertinet ad explicandas artes iam inuētas, in-  
ductio plurimum accommodatur inueniēdis  
artibus. artes. n. experimētis comparatae sunt  
quæ inductione, cum sint singularia, explicā-  
tur: atq; ab illis ad vniuersale, in quo ars ipsa  
versatur, nos perducit. Nam quod omne vi-  
nū calefaciat inductione ita probatur, san-  
martinū calefacit, madrigalēse, & sanctorca-  
tiū, atq; in ceteris similimodo, ergo omne vi-  
nū calefacit. Has duas rationes atq; formas fa-  
ciēdi fidē duę alię consequuntur enthy mema

T 4      atque

Liber quintus.

Atque exemplum, quæ sunt propriæ oratorū, non quod dialectici illis uti non sinantur, sed quod frequentius illis oratores fidem faciant, quam dialectici de quibus est etiam non nihil nobis dicendum.

Enthymēma est argumentatio in qua prætermissa altera parte antecedentis conclusio infertur: ut Clodius paravit insidias Miloni, ergo iuste à Milone occisus est. Quoniam vero subtiliter in enthymemate altera pars antecedentis truncatus aut imperfectus syllogismus dicitur. Illam partem si addamus, facile efficietur syllogismus. Quanquam autem utravis pars antecedentis reticeri possit, frequentius retinetur maior propositio, & exprimitur minor, quia hec cum sit magna ex parte singularis, ad sensum pertinet, & vehementius atque acrius mouet, quod orator cupit efficere.

Postremò exemplum est argumentatio in qua ex uno particulari aliud, vel universale propter similitudinem colligitur. ut, Dauid gloriōsum fuit bellum gerere proprietate, ergo & Philippo Cesaris filio. Est autem admodum necessarium, ut similitudo, quæ ex exemplo proposito significatur, in causa sit, cur unum alteri insit. nam dissimilitudine deprehensa

dis-

dissoluitur exemplum. Hæc de his partibus  
argumētationis dixisse sufficiat, plura. n. à no-  
bis in Isagoge scripta sunt, quā qui paucis his  
cōtentus non fuerit, adire poterit, atque euol-  
uere. Alię etiam sunt argumentandi formæ  
præter has, sed magnam partem illarū  
exposuimus in insolubilibus  
ut superuacancum sit plu-  
ra in præsentia  
dicere.

## FINIS.

T 5 Liber

LIBER SEXTVS DE  
fallacijs.

I HIL e què dialectico necesarium est, ut laqueos vitet Sophistarum quibus eos cum quibus differunt, irretire student, atquè habere perspectū in quæ scopum Sophistarum conatus referantur, & quibus rationibus finem assequi contendant Nam si id planè, atq; aperte constiterit, compendio multis molestijs liberabitur: & est sanè eiusdem artis atq; artificis docere, quæ fagienda nobis sint, nō minus quam lectorē instruere, quæ sequi, atque amplecti debeat. Huius ergo rei gratia in animum induxi ad calcem huius summæ non nihil de redargutionibus sophisticis scribere. Hæc etiam disputatio ad eam rem aliquantulum emolumenti attulerit, si diligenter suscepta sit, ut qui Cōpluti gradū bachalariatus ambiunt, in promptu habeant quæ de elenchis Arist. rogari publicè consueuerunt. Est enim mihi animus, Dei beneficio, nihil prætermittere, quod cōmunia studia proborū, atq; ingeniosorū adolesce

Iescentium iuuare possit, quantumuis improbi homines, atque alienę glorię inuidi & calūniatores strenui perstrepant. Sed rumpantur licet: pergam, qua cœpi, duce Christo, atque auspice.

### *De generibus disputationum.*

#### *CAP. I.*

Rgo vt accipiamus genus disputationis sōphistis peculiare, recensere oportet genera disputationum, illa sunt quatuor testimonio Arist.lib.1.elench.disputatio doctrinalis, dialectica, tentativa, sophistica. Doctrinalis cōspectat, vt doceat, atque instruat auditorem. Hęc procedit ex proprijs cuiusque artis & disciplinę principijs. vt cum hominē doceo natum esse ad risum quoniā particeps rationis est. Hęc syllogismo demonstratio explicatur. Dialectica disputatio opinionē gignit, atque ideo ex probabilibus efficitur quę apparent omnibus, aut pluribus, &c. Hęc explicatur syllogismo topico, aut dialectico. Tentativa eo refertur vt experimentum sumat ab eo, qui se simulan̄ quidpiam scire: constat ijs quę apparent illi cum quo disputamus. Sophistica disputatio ad gloriam cōparandam refertur, & ex ijs constat, quę pro-

De fallacis.

probabilia videntut, non sunt tamen. Hinc  
constat quid sit Sophista: est ille aucupator  
pecunie, aut glorie propter apparentem scienciam,  
eius potissimum finis est gloriam aucu-  
pari, vel pecuniam cōparare. utrumque con-  
sequitur deducēdo cum cū quo disputat ad a-  
liquā metam.

*Quot sint metæ. CAP. II.*

**M**eta hoc loco finis est, quo conatur Sophistarum destinatur. & eo nomine per metaphoram dicitur, quoniam ut cursores cum metam cursu attigerint, quiescunt, neque progrediuntur longius. ita quoque Sophistæ contenti sunt aduersarium in aliquam angustiam cōieccisse earum quas paulò inferius referemus. Nobis igitur paucis explicade sunt metæ, ad quas Sophistæ aduersarium ducunt & apariendæ ratio, qua hoc consequuntur, illa fallacia dicitur. Metæ igitur aut fines sophistarum tantum quinque sunt, quicquid Sophisticissimi homines garriant, qui sextā quandam metam excogitauerunt, quam appellant metam non loqui, ad quam illi omnes iure optimo duci debuerunt, ne suis nænijs, ne gatiū nobis facerent, & cogerent studio

sos

fos adolescentes temporis iacturam facere il-  
lis perdiscendis, quæ satius fuisset nō didicis-  
se. Mittamus igitur ineptissimam istam me-  
tam: & cæteras referamus. Sunt illæ quinque  
meta redargutionis, falsi, inopinabilis, so-  
lœcismi, nagationis. Ad metā redargutionis  
ducitur respondens, quādo momento atquæ  
vi argumentationis cogitur concedere quod  
negarat prius: aut negare, quod confessus fue-  
rat. Exempli gratia, Rogat sophista alterum  
vtrum comedederit vñquam carnes crudas, ne-  
gat se comedisse. Si vi argumenti fateatur, se  
aliquando carnes crudas comedisse, dicemus  
illum fuisse deductum ad metam redargutio-  
nis. Argumentum hoc modo formant Sophi-  
sta. Quod emisti comedisti: carnes crudas e-  
misti, ergo carnes crudas comedisti. Ad me-  
tā falsi ducitur quispiacum cogitur confiteri  
quod planè, & apertè falsum sit. v.g. Rogo, an  
omnis canis latret? concedit hoc qui rogatur  
tunc colligosy dus latrare, est enim canis. Du-  
citur ad inopinabile quispiam, cū cogitur fa-  
teri aliquid quod pugnet cum communi sen-  
tentia, atque opinione hominū. Dicitur ad  
metam solœcismi cum cogitur admitere ali-  
quid contra grammaticæ regulas, atquæ pre-  
cepta. vt si qui rogat alterum, scis ne tu hoc?

osten-

Liber sextus.

ostendat lapidem si dicat se scire, colligit statim, hoc est lapis ergo tu scis lapis. Postrema meta appellatur nugationis: ad eam ducimur quoties cogimur idem bis dicere nulla necessitate. Nam nugatio inanis est eiusdem vocis repetitio. Cum autem alicuius rei gratia sit, nugatio non est. Hoc frequenter accidit in sacris literis, in quibus eiusdem vocabuli repetitio vim maximam, atque momentum habet. ut Deus deus meus terra terra. Ad has metas bifariam duci quis potest: aut enim vere quis dicitur, & sine fallacia illa, aut fallaci rationacione. Cum posteriori modo sit, sophistice sit, non cum priori: & quaque hos quinque scopos Sophista praefixos habeat, pculdubio maxime cupit ducere respondentes ad metam redargutionis. Deinde ad ceteras metas: quo ordine a nobis explicatae sunt. Nam in prima illustrior victoria est, & ceterae omnes ad primam illam quodammodo referuntur.

*De locis sophisticis.*

(AP. III.

**Q**uemadmodum sunt loci quidam dialecticci, ex quibus addisserendum de re proposi-

posita probabiliter argumenta probabilia sumuntur, ita quoque sunt quidam alij loci, ex quibus non probabilia, sed quæ probabilia videantur argumenta sumuntur. Hos sophisticos vocant, alio vero nomine fallaciæ appellantur, aut deceptions. Decipimur autem ijs quæ verispeciem habent, vera tamen nō sunt. Loci vero sophistici distinguuntur ex principijs unde ortum habent. Hinc fit, ut aliæ fallaciæ quæ in verbis sunt, dicantur in dictione contingere: aliæ in rebus quæ extra dictiōnēm quoniam ratio cur decipiāmur, modo ex dictione orta est, modo autem ex re ipsa, nō ex dictione. Dicamus igitur fallaciām duplēcēm esse, unam in verbis aut dictione, alteram in rebus, vel extra dictiōnēm.

*De fallacijs in dictione, & maxime de  
æquiuocatione. CAP. IIII.*

Fallaciæ igitur in dictione aut propter dictiōnē (nā idē omnino est) sex referuntur ab Arist. sunt illæ, æquiuocatio, amphilogia: accentus, cōpositio, diuisio, figura dictiōnis. Quod autē sex sint huiusmodi fallacię hac ratione cōvincitur. Cum n. omnis deceptio aut fallacia

## Liber quintus

fallacia in dictione, ex multiplicitate nominis ortum habeat, quæ res in causa est, ut ferme omnes huiusmodi fallaciæ ad æquiuocationem referantur, fit ut sex tantum fallaciæ in dictione contingant. Multiplex enim aut ambiguum triplex est, aliud n. actione multiplex est, aliud potestate, aliud denique apparet multiplex. Si ergo actione quidpiam multiplex sit, aut multiplicitas in una tantum dictione existit, aut in oratione. Quæ in una existit dictione, æquiuocatio dicitur. Quæ in oratione, amphibologia. Si vero quidpiam sit multiplex potestate, aut consideratur in una dictione, & est accentus, vel in oratione, & est compositio, aut diuisio. Postremò verò cum apparet multiplicitas, figura dictioonis vocatur, contingit enim deceptio similitudine dictioonis. Sunt igitur solum sex species, aut formæ eius fallaciæ, quæ in dictione accedit. Prima igitur fallacia quæ in dictione contingit, fit ob æquiuocationem, id est, quoniam aliquid nomen diuersa ratione multa significat: nam æquiuoca ea dicuntur, quorum est commune nomen, & secundum illud nomine diuersa ratio substantiæ. Ratio cur decipimur est communio nominis. Huius fallaciæ tres sunt species. Prima quando unum nomen multa diuersa

diuersa pari ratione significat, ut canis . Si enim quispiā ita colligat, omnis canis latrat, syd' canis est, ergo latrat: ob æquiuocationē decipitur huius nominis canis . Neq; eo syllogismo quidpiā recte colligitur, quoniā non est idem mediū in maiori & minori propositione. Hac ratione Apollo Croesum regē consultus decepit. Cum ait perdet Croesus halyn transgressus plurima regna, nā verbū perdonare significat, & destruere. Secūda forma æquiuocationis est, cum nomē multa significat diuersa, atqui non æqualiter, sed hoc propriè, illud per metaphorā, vt quod ridet habet os, ager ridet, ergo habet os. Nam ride re æquiuoce dicitur de homine, & agro, & de agro quidem metaphoricòs. Ad istam formam referuntur omnia illa æquiuoca quę sunt ab uno ad unā naturā. Tertia forma est, cum dictio aliqua ratione cōpositionis multa significat: vt quod est inuisum est exosuni, De inuisus est, quoniā Deū nemo vīdit vnquā, ergo est exosus. Nomē inuisum, æquiuocum est significat qđ odio habetur, & quod nō est visu. Fallacia ergo æquiuocationis admittitur.

### ¶ De amphibologia.

#### CAP. V.

V Per

Liber sextus

**P**er amphibologiam decipimur quotiescū q; eadem oratio varia significat. Hoc vitiū à priori differt, quod æquiuocatio ex uno vocabulo nascitur, amphibologia ex integrā ratione, quæ multiplicem sensum habet. Amphibologie sunt plures formæ. Prima cū oratio plures sensus adimitit: & omnes sūt èque principes, ut cum dicimus liber Arist. cuius orationis duplex sensus est, est n. liber Arist. quem Arist. confecit, est etiani quem Arist. possidet. Fit deceptio huius amphibologiarum causa, cum ita dicimus, liber Arist. possideatur ab Arist. hic liber est A: ist. ergo poslideatur ab Arist. ostendo autem Arist. scripta, quæ tu habes. est etiam amphibologica oratio ex varia constructione, ut cum dico, vellem me accipere hostes. nam significat oratio, me cupere, ut hostes me accipiant, & ut ego hostes accipiam, atq; hoc ratione constructionis. Item, quod quis videt hoc videt. Aiote Eacida Romanos vincere posse. Hæc enim erant obliqui Appollinis responsa.

Tertio, amphibologia est cum oratio multa significat, non tamen equaliter, sed aliud potius, ut arare littus. significat enim terram aratro proscindere, & operam perdere, vnde deceptio euenire solet, cum dicimus, qui arat littus.

littus terram proscindit aratro, qui operam  
perdit, litt<sup>o</sup> arat, ergo terrā pscindit aratro.

*De fallacia compositionis & diuisionis.*  
**C A P. VI.**

**C**onsequitur fallacia compositionis & diuisionis, in qua potestate inest æquiuocatio, aut multiplicitas. Non est autem hæc vna duntaxat fallacia, tametsi ut vna à nobis referatur, sed duę potius vna compositionis, altera diuisionis. compositionis fallacia est cum decipimur propter compositionē, Hoc accidit quando quæ vere & legitimè diuisa erant, falso componuntur inter se. Diuisionis vero fallacia est, quotiescunq; ea quæ verè composita erant, diuiduntur, vt quicquid viuit, semper erit. Posuit eſerū existentem libeſum. Qui ſcit literas, nunc didicit eas. Nam ſi diuidas, aut componas aduerbia illa mutas propositionem, & ex falſa veram redis. Aut mutata ratione, vt quod viuit ſemper erit, viuit equus, ergo ſemper erit. vt autē vitimus fallatiā, consulendi ſunt latini sermones periti: atque eo ſenſu accipiēmus orationem, quo illi putant eſſe accipiendam.

## Defallacia accentus.

## CAP. VII.

**Q**VINTA fallacia dicitur accentus. Decipi-  
mūr hac fallacia quotiescūque prola-  
tio in causa est cur decipiāmur. Nā qđ  
vno; aut altero modo v̄erbū p̄feratur, ora-  
tio ex vera falsa redditur, aut ex falsa vera.  
vt omnis terra quę c̄st in via frequēter cōcul-  
catur, terra quæ aqua madet inuia est, ergo  
cōculeatur frequēter. Fit deceptio ppter ac-  
cētū, in via, & in uia. Itē qui dicit, Mē tuō ion-  
gas percūte noctes, Ly dia dormis, vt c̄st apud  
horatiū in odis, dicit se timere. Amator hoc  
dicit nihil metuens, ergo nihil metuens me-  
tuit. Deceptio est ex platione metuo, & me  
tuo. Fallacia figura dictionis est d̄ceptio quę  
p̄ouenit ex figura, id est ex similitudine di-  
ctionis simplicis, aut cōpositę cū alia, nā quo-  
niā alteri similis est dictioni, aliquid ei cōce-  
dim⁹ quòd illi nō debetur, sed alteri cui⁹ illa  
similis erat. Ut si quis colligat: poetā esse fē-  
minei generis, quoniā musa est nomē fēmi-  
neū, cui c̄st simile alterū nomē dēsinētia cas⁹  
aut abeo esse secūdē coniugationis, sicut ha-  
beo, aut valere esse actiuū v̄erbū, quoniam a-  
gere

**G**ere est verbū actiuū. Et hacten⁹ de fallacijs quę in dictione contingūt disputatū sit. Nam sermonem referamus ad fallacias quę cōtingunt extra dictionem.

### *Defallacijs extra dictionem.*

#### *C A P. VIII.*

**F**allacię extra dictionem non ea causa vocantur, quod non sīat in dictione, aut oratione (contingūt enim in disputatione, quę dictionibus cōstat) sed extra dictionem ea causa vocatur, quod potissima ratio deceptionis nō sumatur ex ipsa dictione, vt sit in superioribus fallacijs, sed ex re ipsa, quę dictio ne significatur. Decipimur enim ea causa quę res diuersas ut easdē accipiamus, aut easdem accipiamus, ac si diuersę essent. Sunt fallacię extra dictionem septem, quę his nominib⁹ appellantur, Accidens, Dictrū ex parte & quodā modo, pro eo quod omnino, & simpliciter dicitur. Ignoratio elēchi. Cōsequens Petitio principij. Id quod causa non est pro causa positū. Hę fallacię aliis nominib⁹ vulgo sic appellantur, fallacia accidentis, fallacia Iccūdum quid, & simpliciter, fallacia elēchi,

V 3 falla-

Liber sextus

fallacia consequētis, fallacia petitionis principij, fallacia nō causē vt causa, fallacia secū dum plures interrogations, vt vnam. Tot igitur sunt captiones, quę ex rebus ortum habent, quas numerat Arist. in elenchis.

*De singulis fallacijs quae contingunt extra dictiōnem.* CAP. IX.

**P**rima igitur occurrit fallacia accidentis Pea contingit cum idem tribuimus substantię, atque accidēti. vt cum ita colligimus, Quod ego sum tu non es, ego autē homo sum ergo tu non es homo. Item quas emisti carnes comedisti, carnes crudas emisti ergo carnes crudas comedisti. Animal est genus, homo est animal, ergo homo est genus. Cicero est homo, homo bisyllabum, ergo Cicero bisyllabum. Cognosco Coriscum, Coriscus est veniens, ergo cognosco veniētem. Homo est natus ad risum, natum ad risum propriū est. ergo homo est propriū. Secundo accedit fallacia extra dictiōnem, cū id quod est in parte, & quod animodo, hoc est finitum circumstantijs loci, temporis, vel personæ, omnino & simpliciter dicitur. Vt æthiops est albus dentibus

tibus, ergo est albus, nō est albus, ergo neque dentibus. Licet liberos perditos moribus domo pellere, ergo licet liberos pellere domo. Tertia vocatur fallacia elenchi. Hanc ut explicemus dicendū nobis prius est quid sit elēchus. Est elenchus idem quod redargutio. sed finitur ab Arist. hac ratione, contradictionis syllogismus, idest quo colligo contradictionem eius quod quis afferuit. Hoc ut recte fiat necessariū est ut cōtradictio sit vnius, & eius dē, nō vni⁹ tātū nominis, sed nominis & rei, & oportet ut sit ad idē, & secūdū idē, & consimiliter, atque in eodem tempore. Ergo quotiescū que verè alterius sentētię cōtradicimus, verè utimur elencho, hoc est, alterum redargimus. Hoc fit ubi contradictionem eius quod alter afferuit, colliginus syllogismo aduersus eundem. Vbi vero videmur contradicere non autem contradicimus, vel quia nō est redargutio vnius & eiusdē rei, vel nō est ad idē, vel secundum idem, vel consimiliter, vel eodem tempore, committimus fallaciam elenchi, quia cum non utamur vero elencho, alterum decipimus. Hæc fallacia maxime accedit, cū quidpiā non ad idem, sed ad diuersa refertur, vt duo sunt duplum vnius, & non duplum trium, ergo sunt duplum & non tri-

Liber sextus

plum. Vel cum idem non eodem modo dici  
tur: ut vidi Petrum heri, hodie non vidi, er-  
go vidi Petrum & non vidi. Petrus est logi-  
cæ peritus, & theologiae non peritus, ergo pe-  
ritus & non peritus. Cœlum in orbem agitur  
& non mouetur recte, ergo mouetur, & non  
mouetur. Fallacia consequentis accidit, cum  
quidpiam non sequitur necessariò, putamus  
autem nos recte colligere, quoniam antec-  
dens colligitur exconsequenti, ut terra madi-  
da est ergo pluit, contra sequitur pluit, ergo  
terra madda est. Vinum est, ergo sanmarti-  
num, non sequitur, licet sequatur mutata ra-  
tione. Fallacia petitionis principij contingit  
per tautologiam, hoc est cum est eiusdem rei  
inanis repetitio. ut, quod se mouet, est immor-  
tale. anima se mouet, ergo quod se mouet, id  
est immortale. Est etiam petitio principij cū  
dubium per id quod æque dubium est confir-  
matur, ut mobilis est terra, quoniā sol in me-  
dio mudi quiescit. Sexta fallacia est, cū poni-  
tur pro causa quod causa non est. ut diuitiae  
prauæ sunt, quoniam his multi male vtūtur.  
vinum malum est, quoniam ebrietas malū.  
Postremò, accidit fallacia secundum plures  
interrogationes ut vnam. Hęc contingit quo  
tiescunq; vnam responsonem adhibemus  
pluribus

pluribus interrogationibus. vt si duobus propositis quorum, vnum bonum sit, malum alterum, querimus sint ne hęc bona, an mala? nā si respondeatur sine distinctione bona esse, aut mala, colligimus, vtrumque bonum esse, aut malum vtrumque. Hęc autem verborum, atque rerum captiosa genera quae Aristoteles explicat longa oratione in libris elenchorum, facile quidem dilui poterunt, si diligenter, & cautè spectemus materiam, & formam fallacium conclusionum. Materia cōtinet verba, & res. Dissoluetur tunc temporis argumentum, negando, quod falsum est. aut distinguēdo quod est dubium, atque obscurum. Inficiatione utimur, cum aut vtranque, aut alteram partem antecedentis negamus veram esse, vel quod non recte definierit is qui colligit, aut non recte diuiserit, aut causam, aut effecta, aut similia non recte acceperit. Distinctione vtemur cum termini sunt ambigui. forma syllogismi dissoluitur, cum negamus ex assumptis quidpiam effici, vel monstramus aliter effectam esse collectionem quam vel figura, vel modus postulet. Fit non nunquam, vt vtrumque materiam inquami, & formam oporteat reprehendere. De hac vero re hęc dixisse satis esse puto, illi præser-

**Liber septimus**  
is nullo negocio quamlibet captionem fu-  
giet. Fieri enim nullo modo potest, ut non  
pessima norit qui quæ recta sunt  
intellexit.

(...)

**FINIS.**

**Liber**

LIBER SEPTIMVS  
animaduersiorum inter-  
minos,eodem au-  
thore.

(?.)

*In commune liber reprehenditur.*



N primis liber iste terminorū non video qua ratione, studiis dialecticē necessariō, vt quidam volunt, attingi debeat, cū Petri Hispani, aut cuiuspiam, ex neotericis, dialecticē compendium sit sati: vt interim nostram summām taceam. Nā ante tempora Petri Hispani, Aristotelē, cupidi cognoscēdi dialecticam, & philosophiā adibant. Plurimumq; in eodem authore pro fecerunt. Testes sunt Aristotelis enarratores Sosigenes Alexāder, Porphyrius, Dexipp⁹ Michael Ephesius. Olimpiodorus, Phyloponus. Themistius, Simplicius, Hammonius, Eustratius, Magentius, Nilus quorum egre giū atquē admirabilem in Aristotelē profētū, testantur que p̄assim coram feruntur erudi-

Liber septimus.

eruditissima commentaria. Plurimum etiā profecit Diuus Thomas peritissimus iistarū artium: vt interim August. Hiero. & Damas cenum taceam, qui sine vlla etiam Petri Hispani ope, in dialectica, & vtraque philosophia plurimum profecerunt. Dicet aliquis verum est quod inquis, sed laudari istorum conatus debuit, quia communia studia iuare pro virili studuerunt. concedamus hoc, tametsi inuiti & repugnantes aduersarijs, quorum verò expectant summularum tam longa commentaria, tam molesta, & sine fructu vlo? Quorsum præterea commētarijs tam longis liber terminorum adiectus est? Quasi verò parum fuisse Aristi. prædicamentis Porphyrium quinque voces addidisset, nisi etiā Petrus Hispanus summam consecisset dialecticæ, illam alij suis, si dijs placet, commentarijs illustrarent, & postremò tractatus terminorum accederet. mihi quidem vel hoc solo nomine improbatum studium, quod Academia Complutensis libro terminorum impedit. sed concedamus, si placet oportuisse, vt liber terminorum, quem Naueros composuit, aut quispiam similis in publicum ederetur: atque ijs, qui dialecticæ initiantur publicè legeretur: cur queso tam multa ab eisdem scriptoribus

toribus adiecta sunt, quæ in terminis censeri nulla ratione possunt? Ut de suppositione, definitione divisione, propositione ampliatione, relativis. quis enim hec præter unum Nauerum, atq; alios huius farinæ authores, terminos vñquam appellauit?

2 Sed feramus appellari terminos quæ à termini finitione absunt quam logissime, quis ferat, mihi dicite, in huiusmodi rebus explicandis sermonem usque adeò seruum, rusticum, atq; ineptum, ut neque cōgruus, neque elementarius putari possit? sed quia non satis erat istorum opinione, disciplinarum ignarum ex hoc veluti fonte plurimos errores hausisse, sermonem infecerunt plurimis sollicitis & meram puerorum mentibus barbarem, atq; stultitiam sensim instillarunt. ut perterefactis optimis ingenij huiusmodi epulis delicatis ut sibi videtur, sordidi ampliter fruerentur.

3 Iudicium & dispositionem rerum singularum, quæ vitam tribuit disciplinis, & librorum genius est, si requiras in libello, inaniter laborabis. confusa sunt in eo omnia, & perturbata, nullaque ratione cohæret. ordine enim & delectu præceptorum destituitur.

4 Huiusmodi præterea liber, nihil prorsus

## Liber septimus

tradit. Nam s̄epe numero eas diffinitiones re-  
rum & diuisiones usurpat, quas non solū non  
agnoscit Arist. sed quæ omnino cum Aristō  
pugnant. atqui peculiare munus institutio-  
nis est, ea carptim attingere, & leuiter expli-  
care, quæ sunt propriis locis tractanda copio-  
sius. hæc vero omnia partim Naueros solus  
agnoscit, partim repetit ex doctoribus illis  
Coloniensibus, aut Dauentriensibus, Strodo-  
Gyngolpho, Rapolco de basiafossa, Ortui-  
no, atque similibus. s̄ape numero etiam secū  
pugnat autor & quæ prima parte probauer-  
at, improbat secunda, atque tertia. multa in-  
super falsa, atque absurdā inculcat, quæ sunt  
à me indicanda in presentia, & adductis ra-  
tionibus refellenda, ne verbis tantum pugna-  
re videar.

Quod si liber terminorum lōgior æquo est  
ut plane constat. obscurior præterea, quā in-  
stitutionē deceat, & ad exactius intelligēdū  
Arist. dialecticā. nihil emolumēti ad fert, po-  
stremò falsa multa, & absurdā complectitur:  
ego non video qua ratione, ad dialecticā in-  
tructiō putari possit, cuius illæ partes sunt  
breuē esse, planā, verā, atque etiā cæteris mi-  
norī negotiō intelligendis accommodatam  
sapientissimorum hominum opinione. no-  
stra

stra vero disputatio in tres partes distribui-  
tur, iuxta tres partes terminorum. ea enim ra-  
tione expeditius procedet oratio.

*Animaduersiones in primam  
partem.*

**I**n prima consideratione prime partis ter-  
minorum, quæ de termino, oratione, & pro-  
positione agit, Primùm omniū peccat Na-  
ueros, quod ea definitione terminum definit  
qua nemo vñquam v̄sus est, neque vtetur vñ-  
quam, pr̄ter paucos, atque hos sordidos ad  
modum authores: & etymologia nominis cū  
definitione pugnat, terminum enim Naue-  
ros appellari putat, habita rei corporatæ ra-  
tione. quia sicut rei corporatæ extrema, ter-  
mini ea causa vocantur, quod rem finiant, ter-  
minentq; ita voces termini appellātur, quo-  
niā ppositionū sunt extrema. Ista. n. etymo-  
logia primū nō cōuenit dictionibus extra p-  
ositionē. deinde neq; omnib⁹ partibus enū-  
ciationis, sed subiecto tātū & pr̄dicato. Pos-  
tremò, neq; integræ enunciationi, cū enūcia-  
tio terminis constet, nō sit ipsa termin⁹. At  
ille quālibet partē orationis, atq; etiā ipsam  
oratio-

Liber septimus

orationem , terminum vocat , cum inquit,  
terminus est pars orationis aut oratio ipsa.

Ipsa præterea oratio definitione quadam  
ab eodem explicatur, quam neque grammatici agnoscunt pro sua, neque dialektica putari potest. quid enim habet commune cum definitione orationis, qua Arist. c. 4. libr. 1. perierminias vtitur? commentum illud verius  
quam definitio, plures dictiones, congrue se  
habentes, ut definitiones propositionis universalis, particularis, indefinitæ, singularis,  
categoricæ, hypotheticæ, affirmans, & negantistaccam longe diuersas à definitionib⁹  
illis, quas usurpat Arist. quibus intelligendis  
seruire termini debuerunt.

Peccat etiam illud assignando discrimen,  
inter categoricam & hypotheticam proposi-  
tionem, quod tametsi utraque proppositio sub  
iecto constet & prædicato, categorica, quam  
nos simplicem dicim⁹, aut prædicatiuam, his  
duabus efficitur tāquam partibus præcipuis  
principales ille vocat. hypothetica vero illis  
constat ut partibus minus præcipuis. hoc. n.  
falsum est. Nam cum principalis aut præci-  
pua rei pars illa sit, testimonio etiam Arist.  
sine qua res constare non potest, subiectum  
quidem & prædicatum principales aut preci-  
pua.

puæ partes sunt vtriusque propositionis: categoricam dico, & hypotheticā. illud tamen interest, quod subiectum & prædicatum immediate & proximè partes sunt propositionis categoricæ. mediate verò & remotè propositionis hypotheticæ: illa enim proximè efficitur ex orationibus, quæ subiecto cōstat & prædicato.

Peccat rursum, quia definiens quæ partes orationis integra extrema esse possint, simpliciter inquit, nomina illa integra extrema esse posse quæ reddunt suppositum verbo per se. oportuit enim indicare verbum, atque dicere, adiectuum ne an substantiuū esse oporteat, multum enim refert hoc an illud dicamus. præceptum. n. verum est si sit verbum simplex, sum, es, fui: & significet substantiam, & sit personale.

Peccat postremò cum inquit, tot esse species propositionum hypotheticarum, quot sunt species coniunctionum: nam graues in primis authores Gellius ex Fauorino, Marcus Varro & Boetius qui in hac re plurimum iudicio valuerunt, tres duntaxat species propositionum hypotheticarū traxiderunt, conexam, coniunctam, disiunctam, vulgo cōditionalē, copulatiuā & disiunctiuā appellant.

Liber septimus  
*In secundam considerationem:*

**H**Oc loco primum peccat, quia cum consequentiam & argumentationem confundat illis verbis, consequentia seu argumentatio, quod idem omnino est, alio modo finit consequentiam, quam argumentatio finitur. Nam argumentatio, ut in nostra introduktione diximus, ex Philopono fides quedam est, qua rem probabilem probabili arguento concludimus. ille consequentiā vocat propositionem hypotheticam compositam ex antecedenti, & cōsequēti & nota illationis.

Deinde consequentiam in bonam & mala diuidit, prēter rationem ullam. consequentia enim mala censeri consequentia non debet, in qua unum non consequitur alterum.

Postremo bonam consequentiam vocat, quæ consequentiæ appellatione indigna est, authoribus etiam sophistis, Enzina in quam atque alijs, ea est quæ nullam aliā vim habet, quam quod constat antecedenti imposibili, aut consequenti necessario. quis enim obsecro, nisi qui communī sensu careat huius modi consequentiā appellat, homo est equus ergo pluit. Aristotleles Platonis fuit auditor, ergo Deus est. At istas etiā cōsequētias bonas

Naucros

Naueros vocat. quod si verum sit falsa quidē erit sententia Arist. qui lib. secundo prio. negat, atque id ratione confirmat eandem propositionem non posse colligi ex duobus contradictorijs. hæc enim propositio deus est, quia ex quavis sequitur, colligitur ex propositione homo est animal, atque etiam ex eius contradictorio, nempe, nullus homo est animal: quod est maximè absurdum & contradictionem quam loco citato sequutus est Aristoteles ut faceam pugnare cum cōmuni hominum sententia.

### *In tertiam considerationem.*

**C**onsideratio hæc multos sane, atque illos omnes maximos, & intollerabiles errores continet: vt enim res magis seria est, ita grauius atque foedius in ea explicanda sophistæ labuntur. horum partem aliquam attingam in præsentia: omnes etenim non vacat. P: iniū quidē dum definitionis duas partes facit, vñā nominis, alterā rei, in usu nominū fœde, atque turpiter est prolapsus. Nā finitio m nominis, quid nominis vocat: finitionē rei, quid rei, contra rationem atque etiam cōtra præcepta artis grammaticæ.

Liber septimus

Deinde cum de definito agit, eius finitionem prætermittit: quæ ex finitione rei, qua Nauer⁹ usus est, ita accipi potest. diffinitum est cuius natura, aut proprietas per diffinitionem explicatur. neque ita peccasse contentus, superiorem finitionem vtriusque definiti communem remoto tantum definito tribuit, cum inquit, diffinitum remotum est cuius natura, aut proprietas explicatur per definitionem.

Falsum est etiā quod inquit, Vocari definitū propinquū; quia propinquè se habet ad definitionē, id est, ut ille interpretatur, verā cōstituit propositionē cū definitione: remotum vero quia remotē se habet: id est non constituit magna ex parte veram propositionē cū definitione. risibile enim & flebile quæ sunt remota definita huius definitionis, animal rationale, veram propositionem conficiunt cum definitione, nā risibile est animal rationale, & flebile, & susceptiuū disciplinæ.

4 Falsum est etiam dicere, non oportere ut definitum propinquum cum definitione cōuertatur. Nam necessariò cum illa conuertitur, quod inductione primum cōstare possit: deinde ratione ea quia definitio, authore Aristotele vnā rei naturam significare, atque explicitare

plicare debet, hanc autem solum illud nomine significat, quod cum definitione conuertitur. inferiora. n. in superioribus definiuntur, Vt Socrates, & Plato in homine.

5 Peccat rursum asserens, huius definitio-  
nis, animal rationale, Socratem esse definitum  
propinquum, multis nominibus, Primū quia  
predicta definitio nō explanat naturam So-  
cratis, vt Socrates est. Deinde Socrates, cum  
animali rationali non conuertitur, atqui ne-  
cessere est vt conuertatur, sicut superius osten-  
sum est. tertio si hoc verum sit, vna definitio  
plurima habebit proxima definita. nam qua  
ratione huius definitionis, animal rationale,  
Socrates est proximum definitum, eādē erit  
Plato. Cicero, & Guillelmus, & reliqui pecu-  
liares homines. Quod plane cum ratione pu-  
gnat, quia unius definitionis unum est dunta  
xat proximum definitum: cum sit vna defi-  
nitio unius naturae. Postremo quia individuum  
Platone, & Arist. autoribus, definiri  
non potest. Quorum testimonio conuictus  
Porphyrius C. de specie dixit, individua es-  
se ab arte excludenda.

6 Insuper putare huius definitionis ani-  
mal rationale, proximum definitum esse no-  
men homo, vt nomen est, error est profecto

Liber septimus

maximus, vel ea ratione, quod non possit cum definitione veram propositionem efficere. Falsum enim est dicere, istud nomen homo est animal rationale: præterea etiam immemor huius præcepti paulo inferius refert, definitum definitionis rei accipi personaliter, ita ille loquitur, hoc est, pro re ipsa: quo nomine inquit, differre finitionem rei à nominis finitione.

7 Rursum existimare hominem ipsum verbi gratia, commemoratae finitionis remotum definitum esse, error est. ista enim oratio animal rationale hominis explanat naturā, ut homo est, quamobrem proximum definitū censeri debet. istud præterea vulgatum Naucrī dictū, & à sophistis illis, qui ante hos quinquaginta annos fuerunt, passim surpatū, verba quae ponuntur in definitionibus, actionē significantia, non esse accipienda secundum actum, sed secundum potentiam admodum falsum est, atque ab omni ratione alienum, quod ut apertius ostendamus animaduertendum est, cum id vulgo dicitur, illud significari, quod si qua propositio confecta ex diffinito & diffinitione verbum habeat, aut partici pium, illud quidem non est arbitrandū actio nem significare, sed potestatem. exempli gratia,

tia, cū dicimus, definitio est oratio explicans naturā rei, diuisio est, oratio partiēs cōmune per minus cōmunia, participiū explicans, & partiens potētiā significant nō actū, vt sit sensus definitio est oratio quę partiri potest, qua re inquiūt, nihil prohibet definitionē esse ali quā quę actu nō explicet. & diuisiōne quę actu nō partiatur: mihi vero rē altius cōsiderāti longē aliter videtur. Nulla. n. ratio est cur id afferam⁹, & si qua oratio definitio actu esset quę nō explanaret actu naturā rei , aut si qua diuisio actu nō partiretur cōmunius, maxime istę animal rationale, homo vel brutū in libro cōclusę, at qui altera actione rē explānat: altera actione animal diuidit, tametsi in puteū coniecta vtraque oratio sit. actu enim ista oratio, animal rationale, duabus partib⁹ constat, quę vniuersam hominis substatiām explanant: ista etiam oratio homo vel brutum, actu constat duobus membris diuidenti bus, equalibus diuiso. quod si ego non cognosco naturam hominis ista oratione cōiecta in puteū, animal rationale, aut si nō video animali diuidi ista oratione homo, vel brutū conclusa libro aliquo, neq; in definitionē, neque in diuisiōnem culpa coniiciēda est: sed in me potius qui librum nō adeo, euoluo diligēter,

## Liber septimus

& orationem vtramque contempnor. Nemo enim cum ratione negabit, vocem istam homo, quam quispiam proferat, hominē actiōe significare, etiam si illā nemo audiat. nequè dicet quispiam, me cum loquor, non actione loqui, quia nemo me audit loquentem. Neq; recte putabit quispiam. Tragoēdum, actu nō agere personam in theatro, quia nemo illum agentem spectat, quare sentētiam illam quæ mordicus defendit, verā definitionē non explicare actu rem, sed tantū potestate, alienā à ratione arbitrari oportet.

9 Illud præterea quod de nomine definitionis Naucros scribit proculdubio falsum est nempe definitionem bonam aut malam vocari, non veram aut falsam, vt enim ab Arist. accepimus, top. 2. nominibus vtendum est ut plures, atquè iij elegantiores vtetur, at qui Cicero in top. Marcus Varro, & Gellius veram aut falsam definitionem appellant. Plato etiā atquè Aris. (orisma allides) recte igitur bona aut mala vocatur.

Sed obijciunt aduersarii, definitio propositio non est, sed propositio duntaxat vera & falsa dicitur, definitio igitur vera, aut falsa dicenda non est. his ego in hūc modum satisfactio, fateor quidem definitionem propositio-  
nem

nem non esse. quod vero asserunt, solam pro positionem verā & falsam vocari, distinctione explicādum est, cum enim duplex sit veri aque falsi ratio, una quæ in compositione & diuisione consistit, cuius Aristot. meminit initio libri de interpretatione illis verbis, in compositione, & diuisione est verum vel falsum, altera simplex: ut cum verū aurum, aut argentum vocamus, cum definitionem verā, aut falsam dicimus, non significamus priorē veritatem, quæ posita est in compositione, & diuisione; quia definitio, qua definitio, ppositio non est, sed posteriorē: quoniam quæ definitio vera est verè exprimit naturam definiit, falsa falso.

10 Quo loco de nominis definitiōe differit, quid illa sit nō satis exponit, & definitionem nominis cum definitione rei sæpen numero cōfundit. quis enim ignorat, nominis finitione obscuram nominis significationem explicari, atque illam, eādem esse cum nominis etymologia, aut interpretatiōe: ut fidesquia frat quod dictū est. parcus, par arcæ. assiduus dās asse. locuples plen⁹ locorū. pecuniosus habēs copiā pecoris. ille vero non satis potuit, quid sit definitio nominis diuinare neque accommodatum ullum exemplum atullit.

X 5      II Illud

## Liber septimus

11 Illud etiā ferendū non est, quod vulgo af-  
firmari video, rē cōmentitiam, aut quę nus-  
quā est, quoniā naturā nullā neque p̄priū ha-  
bet, neq; finitiōe substātali, neq; d̄criptione  
explicari posset. quoniā id primū pugnat cū  
Arist. sententia qui qua:to libro de physica  
auscultatione vacuū rē sanc fabulę similē, il-  
la descriptiōe explanat, locus nō replet⁹ cor-  
pore, aptustamē repleri. deinde cum ratione  
pugnat cōstituēdi rerū definitiones quę con-  
ceptionibus rerū assignātur, vt pr̄ter Arist.  
Porphyrius scribit capite de specie illis ver-  
bis, in hac descriptiōne, que generis notioni  
cōstituta est, cū ergo nihil prohibeat cōcipere  
animo chimærā, aut quidpiā simile, neq; ve-  
tabit quispiā eo pacto ēā orationē alijs expli-  
care, quo animo cōplexi sumus: explicamus  
autē tunc tēporis oratione, non naturam quā  
habet Chimæra, sed quā haberet, si in natura  
rerum existeret: si enim ea dūtaxat finitione  
explicarētur quę in natura rerum sunt, nulla  
sane esset rerū vniuersaliū definitio, vt homi-  
nis, animalis, atq; similis. Nā vniuersalia nisi  
in animo, nusquā existūt. omniaenim quę na-  
tura parēs rerū contineat, indiuidua sunt, qđ  
si verē finiūtur vniuersalia, imo verò illa tan-  
tū sunt quę finiūtur figmēta quoque definiē-  
tur,

tur, ratione à nobis paulo superius assīgnata. Postremò præter rationem Naueros improbat, illā hominis finitionem: animal rationale, quæ vero genere cōstat, & substātiali diffērentia, illo nomine quod in ea nō collocetur vlla vox quę corpus hominis exprimat: siqui dē genus animal instar materiae est, atque etiam corporis, rationale vero instar formae, atque animae omnium dialecticorū opinione.

Absque ratione etiam improbata superiore definitio istam probat, substantia, corpora rationalis, bis enim peccat: primum quia proximū hominis genus non habet, quo quidem constare debuit, referente. Aristo. sexto topicorū. deinde quia superuacancā vocem usurpat, illam videlicet substantia: satis enim erat dixisse, corp' rationale, quia in corpore continetur substantia, ut superiora in ferioribus.

### *In quartam considerationem.*

Primus error ille est quo negat istam esse legitimam diuidendi formā, animalium alia homines, alia bruta: illa enim recta diuidendi forma est.

Si

Liber septimus

Si quis autem dicat, si huiusmodi diuisionē probemus fieri, ut diuisum dicatur de aliquo de quo nullum membrum diuidens dicitur, si unus dūtaxat homo atq; etiam unus equus in natura rerum existant, id nihil repugnantes fatebimur: eo tamen nomine diuisio improbanda nō est, si quidem tolleratur illa diuisio non mutata ista rerum natura, & noua alia constituta, qui verò naturam inuertit, nihil mirum est si inuertat etiam probatam diuidendi rationem, & ex vera falsam efficiat.

Illa vero diuisio quam Naueros prioris loco sufficit, animalia alia homines, alia non homines, nulla ratione ferenda est, partim quia constat negatione, quæ à diuisione reicienda est, Arist. authore, c. i. lib. i. de partibus, partim etiam quia diuisum non conuertitur cum membris diuidentibus: nam diuisionis illa pars, non homines, multa significat quæ animalia non sunt.

Quod verò vulgo dicitur, & à Iacobo sæpe numero usurpatum, sub quo quis membro diuidente contineri diuisum, Naueros qua ratione dictum sit, non fatis expressit: neque sane est asservatus. sensus enim germanus vulgariter illius dicti, ille est, ut legitima diuisio sit necessarium quidem esse, diuisum verè prædicari

cari do quouis membro diuidente. Animal enim. v.g. de homine, & bruto verè prædictur, in quæ diuiditur. quoniam verò membra diuidentia sunt inferiora diuisio, & superiora in inferioribus continentur, sub ea forma verborum prolata sententia est, sub quouis membro diuidenti contineri diuisum. Nam cætra quæ hoc loco, & in hanc sententiam dicū consueuerunt, nuge sunt. somnia, & fabulæ.

Præterea, quod obiter attingit tradens præcepta diuidendi istos duos terminos, risibile, & risibilitas non solum retro commeare, sed synonymos esse, maximè absurdum est. quo enim pæto synonymia reperiri possit inter eas voces: quarum altera ridendi potestatem significat, altera hominem, potestate ridendi præditum?

*In ultimam considerationem*

*primæ partis.*

P Rimum quidem grauiter peccat, initio dicens, intellectum hominis animam esse rationalē intellectum angelī ipsum angelū. siquidem intellectus siue hominis, siue angelī sit, potestas animæ est, referente Aristotele libro tertio de anima. non est autem ipsa anima, ne dum angelus.

Deinde

Liber septimus


Deinde præter rationem arbitratur quatuor esse quæ significant potentiam, obiectum, notitiam, vocem, atque scripturam. Nam si Aristotelii, & rationis credimus, duntaxat significant voces, atque scripture: atq; ea causa signa vocantur notitiae rerum symbola aut simulachra. potentiam vero atque obiectum significare nemo sanè mentis putauit, tamet si ab utraque cognitio efficiatur adhibita animi consideratione.

Postremò errat cum dicit, qui vocem imposuit non imposuisse scripturam voci similem: illud enim procul dubio verum est, vocē homo, atq; etiam scripturā, similes omnino esse. deinde excogitatis literis, quarum ortus post voces fuit, nemo cum ratione existimat, peculiari quadam ratione institutum ab hominibus fuisse, ut scripture significanterent. tantum enim litteræ excogitatæ sunt, quibus uteremur pro vocibus, atq; absentib⁹ quodā modo loqueremur. ergo qui vocē imposuit etiam scripturam voci similem.

Cætera omnia, quæ postrema ista consideratione disserit Naueros, non est quorsum spectare possint: mihi quidem ita videtur, dum hæc Naueros scribit sermonem tantum querere. nam neque perse digna sunt hæc, in quibus

bus elaboremus, neque ad alia intelligenda  
vllum adferunt emolummentum.

*Animaduersiones in secūdam partem  
terminorum.*



N hac secunda parte author tot⁹ in illo est, vt tradat nobis terminorum diuisiones. harū multæ falsæ sunt, atq; mendaces, multæ usque adeo superuacancæ atque intrugiferae, vt iure optimo inanis putari possit labor, qui illis intelligēdis impendiatur. persequar tamē nō nullas in præfētia, omnes. n. nullo pacto potero ex quib⁹ possit qui uis facile coniectare, verū esse quod dicimus.

Principiò in innestiganda constituēdaq; vera atque legitima termini finitione grauiiter peccat. Nam cum policeatur initio inuestigatur se termini finitionē quæ eius naturam explanet, quatenus est terminus, hoc est, finit atq; terminat propositionem, inimicorū propositi ex quatuor aut quinque finitionib⁹, duas recitat hoc loco, illā præ ceteris finitionem probat, quæ minime omnium probari possit; quoniam termini naturam nō explainat,

Liber septimus.

planat, & tanquam canis ad vomitum ad eā finitionem reuertitur, quam initio termino rum tradiderat: ea est, terminus est dictio ex cuius significatiōne pendet significatio toti⁹ propositionis: quis enim est tām plumbeus, qui existimet commemorata definitione ex planari termini naturam, qua terminus est: at ille non solum istam finitionem amplecti tur, sed duas etiam priores contemnit: quarū altera est Arist. summi philosophi libro pri mo priorum: altera Boetij, qui ad Arist. proxime accedit.

Deinde illa definitione termini, quā vsur pat ex Ochamo. termin⁹ est pars propinqua propositionis, comprehēdi Naueros putat quā libet partem orationis, atque etiam vocem quamuis, tametsi prorsus illa sit expers significatus: cuiusmodi voces sunt Blytiri, & scindapsus: atqui author commemoratē finitionis solum appellari cupit terminum, illā vocem, quæ existit in propositione: cum dicat, terminus est pars propositionis. & non omnem illam quidem, sed eām tantum sine qua propositio constare non potest: quia subiungit, ut pars propinqua, huiusmodi est nomen & verbum, quæ prædicati & subiecti rationē habent. cætera enim orationis partes propin que

quæ censenda non sunt, quia sine illis propo-  
sitio constare potest, cum non ad substantiā,  
sed ad ornatum pertineant orationis.

*In secundam considerationem.*

**P**roxima cōsideratione vocem prorsus ex  
peritem significatus, terminum vocat con-  
tra termini rationem. Nam si blytiri non  
est terminus significatiuus, ergo neque signi-  
ficat, à superiori ad inferius negatiue: quòd si  
non significat, signum non est: Probo conse-  
quentiam à simili, quia quod significat signū  
est, & signum significat eodem Nauero au-  
thore vltima consideratione primæ partis.  
quòd si signum non est, ergo neque terminus,  
cum terminus eodem authore sit signum po-  
nibile in propositione.

Nihil autem mirum est vsque adeo pugnā-  
tia protulisse, qui ad calcem huius considera-  
tionis perniitit cuique vtlibet loqui: & pro  
suo arbitratu definitiones, & diuisiones rerū  
facere, elegātibus illis verbis, sed quia sic vel  
sic diuidere ad placitum est, dic vt lubet. at-  
qui diuisiones atque definitiones rerum ser-  
uire artis p̄ceptis debent, quæ vagas h̄ mi-  
nūm cogitationes coercet, atque intra me-  
suras.

Y tas

Liber septimus A  
tas comprimit rationis: non ubi est nisi ad  
In tertiam considerationem.

In præsenti cōsideratione primum peccat  
I affirmans, conceptum non ultimatum (sic  
ille loquitur) significare rem ad placitum  
propriè. error vero triplici argumēto refelli-  
tur: primum est, quia eodem authore, omnis  
conceptus est naturalis similitudo aut imago  
rei cuius est conceptus, sed imago significat  
naturā non ex impositione, ergo & concep-  
tus. deinde, quia si qua ratione conceptus ille  
ex impositione significaret, ea esset maxime  
quod qui imposuit vocem, conceptum etiam  
voci similē imposuit, ut Naueros inquit: sed  
antequam vox imponeretur, erat in animo  
conceptus rei & vocis, quę imponebatur, eo-  
dem authore, qui voces significare medijs cō-  
ceptibus hoc sensu accipit. postremò quia si  
conceptus significaret ad placitū, significaret  
ex impositione, quare posset deponi more  
vocis atq; scripturę, quod si fieret caderet à sig-  
nificatione: atqui Naueros negat terminum  
mētalē, seu cōceptū cadere à sua significa-  
tione, ergo nulla ratione conceptus ille signifi-  
cat ad placitum, sed natura, ut dixi.

Deinde

Deinde turpiter errat, cum inquit, cognitionem, qua cognoscit angelus meam agnitio nem esse reflexam, quia est cognitio cognitionis. Planè enim constat, ut sit quæpiam cognitio reflexa, oportere, ut ad eam comparanda mens se flectat in seipsum, suamque cognitionem intueatur, atque agnoscat, non alienam: ea enim gratia reflexa cognitio vocatur, hoc non sit si angelus hominis cognitionem agnoscat.

Quis præterea tam ignarus est, atque inscius veri, qui vocalem terminum, aerem esse dicat perductum à pulmone ad os? iam enim quodvis animal loquetur, & vocalem proferret terminum, quod ratio negat. sermone siquidem homines a belluis potissimum distamus.

Persimile est quod paulo scribit inferius, terminum scriptum atramentum esse, cum atramentum materia tantum sit, ex qua conficitur scripture: sed hec tamen aperte falsa sunt, ut refutatione non egeant.

### *In quartam considerationem.*

**H**oc loco mirabiliter lapsus est, quia cum terminus categoriacus dicatur, quod

Y 2 præ-

Liber septimus

prædicatum integrum esse possit, syncatego rematicus, quod non possit nisi cum alio, ut omnis, nullus, quod ex ipsa deprehēditur appellatione, ille ex significatione discrimen sumit, non ex ratione prædicandi.

Deinde proposita categorematis, & syncategoremati diuisione, errat cum inquit, verbū est, esse officio categorema, hoc est integrum prædicatum esse posse, cum dicimus homo est, nam si verbum, est, in propositione assignata prædicatum est, copula nulla est, quare neque propositio est, neq; extrenum est, cum medium nullum sit, quo extrema copulentur. si vero utrumque est, profecto prædicti suscipit rationem, nō ut verbum est, sed ut participium complectitur ens, aut existēs quod si fit, iam tunc, est, non est prædicatum, sed eius participium.

Postremò absurdum est putare, nomen adiectiuum ut adiectiuum est, non esse categorema officio, hoc est non posse integrum prædicatum esse, ea ratione quod adiectiuum non possit integrum esse extrenum. nā proculdubio nomine adiectiuum integrum prædicatum esse potest, cuni dicimus homo est albus. constat enim hęc enunciatio, omnium opinionis, subiecto, copula, & prædicato. at qui si albus

albus prædicatum nō sit, nihil est quod in ea propositione prædicatum esse possit. non est autem integrum extremum, quinimo albus cum homine vnum extremum constituit.

Cum enim ex Aristotelis sentencia libro de interpretatione, nomina & verba transposita, idem significant: homo est albus æquipollit huic, homo albus est. est autem diuersa ratio prædicati, atq; extremi, quod in causa est cur quod nō potest integrum esse extremū, integrum prædicatum esse possit, prædicatū enim est, quod alteri tribuitur, integrum extremum quod reddit per se suppositum verbo. Nominē ergo adiectiuum cum de subiecto dicatur, ut sapiens, prudens, albus, de homine, integrum prædicatum erit: extremum vero minime, quia non reddit per se suppositū verbo, sed cum substantiuo, cum quo, ut ex grammatica didicimus, in genere & numero & casu conuenit.

*In quintam considerationem.*

D E æquiuocis differens istam enunciacionem veram putat, omnis homo est pictus & illam falsam, homo pictus est homo, verum ut prior falsa est, omnīā opinione, ita posterior vera corūdem iudicio. quos ego sane

Y 3 opta-

Liber septimus

optarem consuleret, qui tam intrepide rem finit. neque studeret nouam loquendi formā atque rationem inducere, & tam alieniam & sciisibus hominum.

Deinde nomen canis æquiūocum appellat à casu, cum sit à cōfilio: significat enim sydus & pīscem canem, quia ista duo cū domesti co cane similitudinem habent. Astronomi enim ex figura Syderis sumpta occasione nō men canis ad Sydus proculdubio transtulerunt, atque etiam ad pīscem.

In sextam considerationem.

Differens in præsentia de nomine connotatiuo (Aristoteles de nominatiuum appellat) materiale significatum eius nominis præcipuum vocat, formale vero ita, ille loquitur, minus præcipuum. atqui istud planè falsum est. Nam ut forma nobilior est, atque præstantior quam materia, quia dat esse rei, Aristotele authore multis locis, ita significatum formale lōgē præstantius est materiali. accedit ad hoc, quod Aristoteles cap. de substantia, album solam qualitatem, hoc est formam dicit significare: hoc ob id maximè resert, quod id potissimum sit nominis denominatiui significatum.

Præ-

Præterea vocem istam non homo, denominatiuam appellat, & significare corpus ait, quod non sit homo, sed id quidem contra Aristotelis sententiam, qui cap. de nomine, nomen inquit infinitum tam est in eo quod est, quam in eo quod non est, hoc est tam significat quod existit: quam quod non existit. quare materiale nullum habet, neque nomen connotatiuum est, sed simpliciter illud significat quod homo non est.

Nomen vero chimæra, nemo vñquam de nominatiuum esse afferet. Nam quid obscuro est quod denominat? Et qua forma? nulla sane, sed peculiaris quedam censetur species animalis, at qui Naueros nomen connotatiuum, aut denominatiuum vocat.

### *In septicimam considerationem.*

Hoc loco primum peccat Naueros quod histos terminos, ens quod est Socrates, animal quod est Plato, homo qui est Cicero, communes vocat, atque in ratione integræ significationis sunt autem illi singulares, quia pro una tantum re singuli usurpantur, & in unius tantum rei agnitionem nos perducunt.

Liber septimus

Illud etiam falsum est, nomen istud angelus corporeus non esse commune, ea causa quia cum nullus sit angelus corpore prædictus de pluribus prædicari nulla ratione potest. cum enim ea voce audita multos angelos agnoscamus falso conceptu, quia corporatos agnoscimus, negari non potest nomen illud esse commune.

Quis autem non videat falsum esse quod inquit Naueros, quamvis vocē se atque sui similes significare, etiam illam quæ est profusa ex pers significatus.

Rursum complexum illud Socrates, & Plato, singulare vocat quod est sane commune, quia multa significat, multa insuper asserit, hac eadem consideratione, quæ si referre vellem vix possem, dicendi finem facere.

*In octauam considerationem.*

Differens hoc loco de nomine infinito, nō audet fateri ens effici posse nomen infinitū, quia ens omnia significat. ut tamen non enti aliquid subiiciat, ens dicit significare omnia sub modo possibili, non ens verò eadem sub modo impossibili, sic ille loquitur. cum ens omnia quæ existunt cōpleteatur. nō

5011

ens

ens, quæ non existunt quæcunque illa sint.

*In ultimam considerationem.*

**S**igna inquit, illa, omnis, quilibet, Synonyma esse, quod sane falsum est. Nam synonyma, eodem autore, sunt quæ idem significant, atque eodem modo. signa vero, cum nullam rem significant, significare idem non possunt, quare synonyma nō sunt, præsertim cum non conuertantur. nam quæ conuertuntur in synonyma, & non synonyma diuiduntur.

*Animaduersiones in tertiam  
partem.*

 Mnia ferme quæ tertia parte terminorum à Iacobo traduntur admodum infrugifera sunt: modo pauca excipias quæ ē suppositione scribit, que sunt necessaria ad intelligendas sophisticas nugas, quæ in libro summularum continentur. nam quæ de ascensu & descensu tradit scitu digna, ad inductionem referenda sunt. de relatiis vero multò exactius Grecismus, Catholicon, atque alij ignobilissimi grammatici scripserunt,

Y s runt,

Liber septimus

runt. Quę vero de ampliatioę & appellatioę  
ne præcepta tradit prætermitti omnia sine  
incommodo poslunt.

Illud vero potissimum argumētum habeo  
quo persuasus credam vana esse omnia quæ  
tradūtur tertia ista parte terminorum, quod  
cum allerait dialecticam ab hominibus esse  
excogitatam, ad saluandam, ita ille loquitur  
communem animi conceptionem, id est red  
dendam rationem eorum quę animo conce  
pimus, veras facit huiusmodi enunciationes,  
pastilli commestis sunt comedendi. Bertha  
peperit virgo. Cesar existens in Hispania ex  
pugnauit Tunitium. David existens in vte  
ro matris suę debellauit Goliam. Camissia  
Socratis creuit in horto Platonis. Calcei So  
cratis fuerunt in dorso bouis. Pugnant enim  
hęc plane atque aperte cum communi op  
tione hominum quantumuis illi barbari sint  
atque plumbi, nisi de Naueri, atquę similiū  
sonte biberint. Huiusmodi vero error usque  
adeo manifestarius est, ut possit unus esse sa  
tis, ad ostendendum quę tertia illa parte ter  
minorum Naueros scribit, reicienda procul  
à Gymnasijs, non dico Complutensium, qui  
plurimum cognitione artium, quas liberales  
appellant, gloriantur, sed Barbaris in erum  
quoque

quoque hominum. quod ut efficiat nostra if-  
ta Academia ego sanc non recusaui laboreni  
colligendi huius libelli errata: quæ non tam  
author i libelli, quam illorum temporum vi-  
tio ad scribenda esse censeo. sed quando fre-  
quenti doctorum admonitione, & familiariti-  
bus domesticisque exemplis, plane constat  
indigna esse hæc, in quibus complutensiū in-  
genia elaborent, Demus operam, obsecro, vt  
hæc procul recijciantur, quæ haec tenus ample-  
xi sumus: & meliora in istorū locū succedāt.

Prima consideratione tertię partis, nescio  
qua fronte materialem, vt ille loquitur, sup-  
positionem propriam appellat, quæ sanè ma-  
xime improppria putari debet. vt enim res si-  
gnificat, ita supponit authoribus sophistis,  
vox autem quævis eorum opinione impro-  
prie significat ergo cum pro se supponit im-  
proprie supponere putari debet, non proprie  
vt amicus noster scribit.

In secunda consideratione, hic homo, hic  
equus & similia nomina vocat singularia va-  
ga, quæ Arist. non vaga sed ex demonstratio-  
ne singularia nominat: vagum enim singula-  
re vocatur. c. de substātia quidam homo qui  
dām equus; quod nos eo loco explicuimus.

Eadem consideratione, cum errorem nar-  
rat

Liber septimus A

rat qui accidit in ascensiū, testatur, hanc enūciationem, cuiuslibet hominis oculus non est oculus falsam esse, que est omnium hominū opinione quam verissima. modo paucos quosdam sophistas excipias, atque id noua quadam suppositione terminorum excoxitata.

In quarta consideratione quo loco de ampliatione agit testatur, verbum sum, & erit ampliare terminos antecedentes ad duas differentias temporis, quod aperte pugnat cum ratione. alioquin enim recte sic argumenta remur. est, ergo fuit. est erit igitur. cum præcepta illa colligendi firma & perpetua sint. at ut appareat, vitiosa est illa colligēdi ratio. Eodem quoq; loco scribit, verba quæ significant internam mentis actionem ampliare terminos, tam antecedentes, quam consequētes ad quinq; tēporis differētias persuasus eo argumēto quod recte dicam, chimera intel ligitur, mons aureus cognoscitur, atq; alia simili modo. verum ea sententia ridicula est, & aliena ab omni ratione, quod ego ita persuadeo, quoniam si ea sententia communī rationi aliquo pacto coniuncta esset, recte sic colligeremus iuxta præcepta à nobis iam trādita, est, ergo cognoscitur, non cognoscitur, non est ergo, atqui, ut plane constat, vtraque for

forma argumentandi vitiosa est, quod si com  
memoratae propositiones veræ esse credun-  
tur (ut reuera nihil prohibet illas veras esse)  
causa est peculiaris istorum verborum signi-  
ficandæ ratio, non enim significant res exi-  
stere in ista natura rerum, more cæte-  
rorum sed in animo duntaxat, in  
quo res commētias & fabu-  
læ similes existere ni-  
hil vetat.

## FINIS.

ISA-

ISAGOGE  
ISAGOGE SIVE IN  
TRODVCTIO IN ARIS-  
to.Dialecticam,eodem  
authore.



Vm post tot egregios commen-  
tarios in Aristotelis dialecticā  
partim à Neotericis, partim ab  
antiquis scriptoribus in omni  
genere literarum peritis in lucē  
vsumq; hominum æditos aliquid de eadem  
re dicere tentarem, non vt amplius quicquā  
aut certius his afferrem, cum sint ab eisdem  
multa eademq; optima scripta, sed vt studijs  
huius ætatis hominum eadem ipsa accōmo-  
darē, atque eo modo (vt quidam dixit) meæ  
turbæ, crassioribus inquam consulerem, visus  
sum opereprætium facturus, si aliquid præfa-  
rer quod esse aliqua ex parte vñui his qui nō  
tantum sententiarum reconditos atq; abstiu-  
sos sensus peripatetica rationis philosophan-  
di atque differendi reformidant, sed dictio-  
nis quoque obscuritate perterrentur, breui-  
que oratione complecterer, quæ ab Aristote-  
le

le summo ingenio, viro atque principe huius  
instituti longo sermone ad modumquè per-  
plexè in his libris, qui de Dialectica scripti  
sunt, edissemur: ut qui huius facultatis stu-  
dio capiuntur ad eam ipsam, gustum licet te-  
nuē malignumquè, aliquem tamen perferat  
earum rerum, que fusius atque vberius apud  
Aristotelem suis locis explicantur. Vche-  
menter autem in care præstada modum ob-  
seruare adnixi sumus, cum intelligeremus  
peccatum esse hac in re à Neotericis scrip-  
toribus non sine graui studij Dialecticę at-  
quę philosophia etura, imo vero disciplina  
rum omnium atquę artium, quarum est dia-  
lectica comes atquę ministra. qui dum sum-  
mam se scribere profitentur, obliti propositi,  
aut fortasse ( quod mihi longe probabilius  
fit ) ne parū multa scire videātur, tam multa  
tamque varia congerunt atque accumu-  
lant, vt illis duntaxat legēdis vix integra vi-  
ta hominis possit esse satis. Addo præterea  
magnā earum reram partem attingi nō pos-  
se citra ingens temporis dispendium rerum  
preciosissimi, atquę operę. Nequę rursum i-  
ta me comparaui, vt persuasum habeam, nul-  
la re alia esse opus ad eandem facultatem  
parandam ijs qui in ea addiscenda cupiunt,

labore.

# ISA GO GE

laborantq; Arist. habere præceptorem, quā si is frequenter euoluatur, & nocturna, quod aiunt manu, versetur atque diurna. magis. n. arduum atque impeditum iter est, quam ut sine comite & viatico confici tutò possit. Illi enim immorū, illi grauiter insudare debet, qui sine externis adiumentis, aut aliunde ascerta ope aliquo modo cupiat proficere. Et fortasse eueniet, ut post ingentes labores atque vigilias, nihil ab eo sit aētum fœliciter, sed frustra potius in eo sit labor omnis atque cura insumpta. Quod non paucis contigisse compertum habeo. Nec tamen in his quæ parum ad rem pertinere, possit aliquis existimare, modū excessisse videar, conabor paucis, quod sum pollicitus præstare.

Atq; ut inde exordium sumere possit oratio, ynde Cicero initium esse in omni institutio literaria faciēdum censet, antea quām dialecticæ finitionem exhibeam, sine qua fieri interdum non potest, ut inter eos qui de re quapiam ambigunt, conueniat quid illud sit, de quo agitur, cum sit diffinitio quasi patefactio quędam rerum operarū, qua quid quidque sit aperitur, accipiendū est dialecticā, ut rhetoriam & grammaticam, græcam esse vocem: in viutamen sunt huiusmodi nomina

na etiam latissimis hominibus, non quod la-  
tio sermoni, qui, si Ciceroni credimus, non fa-  
cilè græco cedat copia atque vbertate verbo  
rum latinum desit nomen (hæc enim optime  
latinè dici posse de finibus differens Cicero  
scribit) sed quoniam ijs iam latinivtūtur pro-  
suis, superuacaneum fuerit noua vocabula  
excogitare. Est igitur dialectica, ut ex topi-  
cis atque elēchis Arist. licet intelligere, ars  
quædam differēdi de quolibet proposito pro-  
blemate ex probabilibus. Cum enim ceteræ  
artes atque discipline peculiari quadam ra-  
tione rem subiectam negotiētur tractēque:  
ipsa, de qua loquimur, dialectica de reb⁹ om-  
nibus quæ in dubium vocantur differit. Non  
quidem inquirendo quod verum, certumque  
sit, sed dūtaxat quod probabile existimatur.  
Quo sane nomine dialectica magnam habet  
affinitatem cum rethorica facultate. Siqui-  
dem vtraque in rebus omnibus versatur. Cui  
descriptioni, quod à Cicerone Platonis sente-  
tiam secuto, dictum est, dialecticam esse dili-  
gentem quandam rationem disserendi, ad-  
modum consentaneum est. Hoc tamen inte-  
rest, quod vterque, Plato inquam & Cicero,  
modum disputandi prætermisit qui est ab  
Aristotele explicatus, cum inquit, dialecti-

## I S A G O G E Q V I

cam probabiliter disputare. Dicta est autem dialectica, à disserendo atque disputando: quę quoniam ad omnium artium principia viam munit atque sternit, non omnino citra rationem vulgo ars artium & scientiarū sciētia nuncupatur. quamuis enim eos qui plurimum dialectica vtuntur multa vitia consequantur, quæ Aristoteles. 8. libro. topicorum commemorat, profectò si modicè atque sobriè summatur, multa eademque maxima commoda affert cæteris omnibus disciplinis atque artibus pro dignitate tractandis. Est enim lumen omnium non modo artium, sed etiam disputationum ciuilium atque ecclesiasticarum. Cuius rei illud est apertissimum argumentum, quod dialectica ab Aristot. instrumentum simpliciter appellata est.

Nec mirari quispiam debet aut nos vlo pāto reprehendere, cum audit, huiusmodi descriptionem, aut rudem dialecticę explicatō nem aut quod ego verisimilius puto, primæ philosophiæ laudes, ad dialecticā fuisse trāstatas. magnū enim utrobique discrimen est. & quidem prima philosophia ars artiū scientiarūque sciētia vocata est, quod princeps sit & veluti regina cæterarū disciplinarū: cū ab ea tāquā à capite atque fonte omniū scientiarū

rum principia proficiscantur. Disceptandi vero ars quoniā ministeriū p̄fstat omnibus disciplinis atq; artibus explicandis ars artiū esse dicitur. aut quoniam illud habet cum prima philosophia commune ut quemadmodū prima philosophia sollicitè perquirit omniū disciplinarum principia. ita quoque Dialectica quid in singulis quibusque negotijs probabile in sit studiose intelligere laborat.

Huius autem facultatis multiplex usus est ut Arist. in top. est autor, ne quispiam putet, quod Platonis etate plerisque usu venit, prorsus indignā esse, in quam strenui labores collocentur atque incumbant. Nam quod olim male audierit dialectica potius imputandum est sceleris atque improbis hominum moribus qui eadem ad quæstum sunt abusi, quam arti. Ipsa siquidem dialectica ad exercitationes confert. Præterea ad hominum colloquia atque etiam ad disciplinas que sunt secundum philosophiam. Primum quidem ad exercitationem hoc est disputationē in vtranq; partem utile esse constat. Nā cum fuerit mos veterū philosophorū aliquo, quod dubium esset, proposito priuatim ingenium exercere, coniectis in contrariam partem argumentis, ut dū temporis ratio postularet in promptu

Z 2 habe-

## P I S A G O G E

haberent rationes quibus quid in una quaqueret probabile inest et planum facere possent, nec ullà alia disciplina sit quæ hoc præstare nobis posse præter differendi facultatem, quæ dialektica nuncupatur, recte profecto dictu est dialekticæ cognitionem plurimum ad id genus exercitationis conferre. Nam si rationem noris quæ te admoneat unde argumenta petenda sint, atque è suis sedibus, cœu ex thesauris, cruenta, citra magnum profecto negotium eius rei quæ vocatur in dubium fidem facere possis. hāc autem methodum disputandi ars atque rationem suppeditat. hūc morem, quoniam est disciplinis admodū consentaneus. Arist. obseruasse eiusque successorem Theophrastrum diuinum hominem in dicendo Alexander aphrodisiensis magnus peripateticus auctor est. Resertque etate sua fuisse utriusque philosophi libros in quibus tenebris circunfusa veritas hac ratione inuestigetur. Quod ante hunc Cicero scripsérat secunda Tuscu. his verbis. Ita mihi semper peripateticorum Academiæq; consuetudo de omnibus rebus in contrarias partes differendi non ob eam solum causam placuit, quod a liter nō posset quicquid in una quaqueret esse simile esset inueniri, sed etiā quod esset ea maxima

maxima dicendi exercitatio, qua princeps  
vſus est Arist. deinde qui cū secuti sunt. Quia  
etiam in re Academicorū institutū atque exē-  
plū Cicero secutus est. Quod vniuersitæ cī<sup>o</sup> de  
philosophia scholæ testantur, modo vnum li-  
brum excipias qui de fato inscribitur, in quo  
(vt idem ait) casus quidam obſtitit quo mi-  
nus id faceret quod alias ſemper fecerat.

Ad colloquia præterea hominum & con-  
gressiones dialecticām eſſe vtilem hinc ma-  
xime coniectare poſſis, quod rudes homines  
cum quibus nobis viuēdum eſt, exquisitis ra-  
tionibus atq; ē media philosophia deduc̄tis  
nō ſunt à nobis refellendi, aut dimouendi ab  
opinione, ſed crassiorib⁹ potius, & que ab eis  
dem citra magnum negotium poſſint perci-  
pi. Subtiliora enim illa atque ē medijs scho-  
lis deducta tanquam exilia nimis aut non in-  
trant crassiores vulgi animos aut nō haerent.  
Quare rudioribus, & ex medio depromptis  
cum vulgo nobis agēdum eſt. Quoniam vul-  
gus his, vt popularib⁹ & robustioribus ma-  
gis permouetur. Eſt autem huiusmodi diale-  
ctica ut populares rationes præſtare poſſit.  
quare ad hominum congressus, & colloquia  
plurimū confert, Rurſum ad eas disciplinas  
quæ ſunt ſecundum philoſophiam, hoc eſt in

## I S A G O G E

veri & boni inuestigatione occupantur. In quibus totum philosophorum studium positum est. Quoniam si ratione, & mentis acie omnibus perlustratis plane nobis constiterit quid in singulis rebus probabile insit , facile quoque erit quid verum quid falsum sit intel ligere. Nam quod verum est non magnis interuallis ab eo distat quod probatur omnib⁹ aut plurib⁹ aut sapiētib⁹, vt nec falsum ab eo quod vulgo improbat⁹. Postremo ad prin cipia omnium disciplinarum conduit. Nā cum de principijs sciētiarum ex natura prio ribus notioribusque disputare noui possimus (nihil enim simile reperitur ) in eadem præ fertim disciplina, Si quidem Principia, opi nione philosophorum illa sunt, ex quibus a lia & quæ non ex alijs, neque ex se inuicem fiunt, Communibus & probabilibus argumē tis, quæ dialectica ipsa suppeditat, rerum pri mordia nobis tractanda sunt. Habet autem ipsa, de qua loquimur, dialectica intra quos consistat, fines quosdam & quoniam finis artis vel Cicerone authore in libro de finibus il le est, in quem omnia artis præcepta referun tur, cum ipse nihil habeat in eadem præfer tim disciplina ad quod referatur, erit sanc huius facultatis differendi finis , differere.

Siquidē

Siquidem omnia quæ in dialectica arte præcepta traduntur ad differendum pertinent, at qui differere intra ipsam artem nihil habet quò possit referri.

Quemadmodum vero facultatis differēdi finē ostendimus, sic etiam officium eiusdem facile possumus assignare. Sunt enim finis atque officium inter se vsq; adeo coniuncta, ut sicut alterum alterius præsidio indiget: sic altero monstrato facile agnosci alterum possit. est autem officium artis, opus illud quod postremò ars ipsa præstare debet ad finē consequendū. Et quoniā omne officiū exercitatio ne constat, tot erunt dialecticæ artis officia quot exercitationes. Sunt autem dialecticæ duæ exercitationes, confidere inquam nouū opus, & iudicare de confessō: quorum singula suis partibus constant, de quibus est à nobis alio loco dicendum.

Cū autem planè constet officia præstari nulla ratiōe posse sine instrumētis, exposito officio dialecticæ, præterea & materia in qua officium suum exercet ars differēdi, instrumēta nobis explicanda sunt: sunt autem illa duo inuentio & dispositio: his enim duob⁹ instrumentis opus est nobis ad singulas quæstiones explicandas.

Inuentio est ratio inueniendi argumenta  
ad explicādam quæstionem propositam. Dis-  
positio vero est corū argumentorum quæ in-  
uenta à nobis sunt collocatio. hæc inuentione  
posterior est ordine naturę, & doctrinę. nam  
syllogismus neq; fieri, neq; doceri potest nisi  
prius argumenta inuenta sint. dispositionis  
verò duę sunt partes, argumētatio, atque me-  
thodus, quoniam ijs duabus rebus absoluītur  
dispositio, de quibus alio loco cōmodius dis-  
seremus. Nam in præsentia, ne modum exce-  
damus compendij satis esse putamus res sin-  
gulas summis, quod aiunt, labijs, degustan-  
das proponere.

Versatur autem tota vis dialekticæ in ijs  
quæ sunt probabilia. Probabilia autem sunt  
quæ apparent omnibus, aut pluribus aut sa-  
pientibus, & ijs aut omnibus, aut pluribus  
aut maximè familiaribus in philosophia.  
Nam quæ planè cōperta sunt, aut prorsus in  
opinabila, nisi qui cōmuni sensu plane careat  
nemo usquā, vocare in quæstionē solet, vt v-  
trum deus sit: vtrum nix sit candida? Alterū  
enim oculorum fide constat, in altero nulla  
usquam controuersia fuit. nulla quippe gens  
fuit tam immānis & barbara quam non ali-  
quod numen diuinitatis tetigerit. quæstūta  
men

men est à veteribus hominibus sed vere religionis ignariis vtrū plures dij sint an vnus? Vtrum corporati an expertis corporis. Similiter Vtrum astra paria sint an imparia, nullus querit, quia in neutram partem ratio probabilis reddi aut excogitari potest.

Ea vero in quibus dialektica munus suum exercet pbleinata vocatur. At verò problema dubitabilis ppositio diffinitur. Aut quē admodum Aristó. inquit in topicis speculatio tendens ad electionē aut fugā, ad veritatē aut sciētiā perse, aut ad aliquid horū adminiculans, de quo neutro modo cōtingit opinari, vel cōtrariē sentiūt sapientes insipiētib⁹, vel ijdē sibi ipsis. Qua descriptione tria genera problematū cōlectuntur, moralia, inquā, naturalia. & dialektica. moralia pertinēt ad electionem velfugam, vt vtrum voluptas sit expectanda? Naturalia ad veritatem aut scientiam vt vtrum mundus prouidentia regatur. nam. Dialektica cū ceteris p̄fert adminiculū, ipsa per se ad neutrū referri possunt. Vt vtrū contrariorū eadem sit disciplina? nā quē admodum dialektica philosophię instrumentum est; ita quoquē quē ab ea problemata sumuntur ceteris problematum generibus explicandis accommodātur. Distinguitur pro

Z 5 blema

## I S A G O G E

blema à propositione non quidem re ipsa at  
què sententia sed ratione tantum atque voca-  
bulo. Ut Aristote. inquit libro primo topic.  
quod in propositione Dialectica vna tantū  
pars contradictionis exprimitur, in proble-  
mate vtraquè.

Sed quoniam quæ ad disputationē addu-  
cuntur multis sunt magnisquæ obscuritatib,  
impedita, externis, vt explicetur præsidijs in-  
digent. Quare qui eadē manifesta velit effi-  
cere extrinsecus adferat adiumenta necesse  
est, ob eam ergo rem eruditorum hominū cu-  
ra, atque industria effectum est, vt argumen-  
ta coniparentur, quibus dubijs, anticipibus  
quæ rebus fides conciliaretur, & quorū admo-  
nitu circunferremus per ipsas res animum, &  
quid in vna quaq; re probabile, aptumquæ in-  
stituto orationis nostrę esset, perspiceremus.  
Hec autem ita appellata sunt quoniā pertinet  
ad faciendā fidem. Nam argumētum Aristo-  
tele & Cicerone auctoribus probabile inuen-  
tū est fidei faciēdæ causa. Res exemplis con-  
stare facile possit. Si quis dubitet, utrū anima  
simil cuni corpore extinguitur, quam primū  
acceperit mortuis parentari, magnāque v-  
niuersum hominum genus habere post se cu-  
ram de futuro, maximam sanc partem con-

cep-

ceptæ suspicionis abiiciet. Nam cum v-  
trumquæ istorum probabile appareat , ar-  
gumentum est animam post discessum a cor-  
pore viuere,nisi enim omnium animis homi-  
num natura insitum esset meliorem partem  
hominis postquam à corpore excessit incolu-  
mē manere , nec mortuis iusta tam religiose  
etiam barbari, redderent,nec dum viuerent,  
quæ ad mortuos attinent tam anxie & so-  
licitè curarent.fieri autem non facile potest,  
vt communis existimatio hominum inanis  
sit.merito igitur quod inuentum est ad faciē-  
dam rei dubiæ fidem,argumentum appella-  
tum est,cum instrumentum sit , faciendęquæ  
fidei ratio.quod si ad syllogismum referatur,  
medium dicitur, quia velut extrema , duo  
quæ alioqui fuerant dissidentia, coniungit.  
de quo cum de syllogismo agemus , plura  
sumus dicturi : ne tamen illi qui argumen-  
ta quibus fidem faciant, inquirunt . incer-  
ti vagentur diu , vt necesse sit falsum pro ve-  
ro sumere , aut quæ sunt parum probabilia  
in probabilibus habere , prouida & solerti  
quadam ingeniorum indagatione peculia-  
res quidam loci reperti sunt , in quibus  
propria asseruarentur ad disputandum in  
cōtrariā

# I S A G O G E

contrariam partem de rebus singulis argumēta. Non enim (vt Quintilianus ait) omne ar-  
gumētum vndiq̄ue venit, ideoq; nec passim  
quārendum est. multus enim alioqui error,  
exhaustoq; labore, quod non ratione scruta-  
tabimur non poterimus inuenire nisi casu.  
At si sciamus vbi quidque naſcatur, cum ad  
locum ventum erit, facile quid in eo erit per-  
uidebimus.

Locum autem sedem argumentorum ma-  
ximi quiq; scriptores appellauerunt, quod  
in eo facienda fidei instrumenta sint reposi-  
ta. Nam sicut carum rerum (vtar enim Cicc.  
verbis) q̄ie absconditē sunt demonstrato, &  
notato loco, facilis est inuentio. Sic cum per-  
uestigare argumentum aliquod volumus lo-  
cos nosse debemus.

Non est autem satis sedem argumentorum  
cognouisse, atq; inde cōpisse argumenta,  
vt cogitationum fluctus cohībeamus, mētēq;  
cōſtituamus alioqui dubiam: nec enim vt in-  
uentum argumentum est, conferri in ratioci-  
nationem debet, sed legib⁹ quibusdam prius  
necessē est pareat: ob eam igitur rem conue-  
niens admodum est perspectum habere quo  
pacto, quaque ratione, diligētē accuratam  
que argumentorum dispositionem facere pos-

simus, ut iam non tam argumentorum momento, sed vinculo etiam & connexione eorum, quæ à nobis excogitata sunt, inuitum & renitentem aduersarium in nostram sententiam trahamus. Huiusmodi ergo argumentorum dispositio à peripateticis argumentatio, à Cicerone verò ratiocinatio vocatur. Quæ vna ceterarum omnium artium organum atque instrumentum pauci existimatur. Verum cum omnis argumentatio ex propositionum nexu iuncturaque nascatur, propositiorum subiecto constet, & predicato, demum hæc utramque terminorum appellationem suscipiant, antequam facienda argumentationis præcepta tradamus, intelligere, atque explicare oportet, quæ nam sit vis singulorum quæ diximus, atque natura. & ut à primis huius instituti elementis auspicium sumamus, principio quid terminus sit nobis dicendum est, ut hinc ad reliqua facile atque expedite procedat oratio. terminus igitur ut Aristot. inquit ille est, in quem resolutur propositio: homo enim atque animal exempli gratia, termini dicuntur, quoniam in eisdem hæc propositio resolutur, homo est animal, tāquam in subiectum & predicatum. induita est autem termini appellatio simplicibus vocibus per compa-

## I S A G O G E

comparationem ad agorū, ceterarumque  
rerum corporatarum terminos. vt enim harū  
rerum fines termini nūcupantur, quod in eos  
dem res desinat, ita quoque propositionū ex  
trema, & earum exit⁹ philosophus terminos  
vocat, quia vtrinque propositionem cingunt  
terminantq;. atq; vt in eadem similitudine  
perstems, quemadmodū rerum partes, quæ  
nondum actione terminant nullus sanc terminos  
appellauit, ita quoque simplices incō  
iunctæque voces antequam extrema appo  
sitionum efficiantur in terminis, nulla ratio  
tione censeri debent, cum sint duntaxat ter  
mini potestate. Simplicer vero atque absolu  
te nomina appellantur, etiamsi in propositi  
one collocata minime sint. Ex istorum rursus  
terminorum nexu perficitur propositio, quā  
Aristoteles orationem appellat, in qua ali  
quid alteri tribuitur, quod genus est, Deus est  
eternus. in qua quidē oratione de Deo eter  
nitatem predicamus. cuius signum est, ea par  
ticula, de aliquo in descriptione propositio  
nis collocata. aut est ea in qua quidpiam ab ali  
lio auferimus, vt homo non nascitur ad volu  
ptates. Cuius rei index est ea particula ab ali  
quo, harum altera affirmans est, altera ne  
gans, quas affirmatiuas & negatiuas vulgo  
vocari

vocari video. Affirmans, ut philosophi verbius utar, est, in qua aliquid de aliquo, hoc est, in qua aliquid affirmatè de altero dicitur. negans in qua aliquid ab aliquo, se iungitur inquam. Vtramq; vero partem propositionis adhibita paulò superius exempla declarant Vniuersa præterea propositio tam afferens quam priuatas, triplex ab Aristotele traditur. Vniuersalis, particularis, indefinita, quibus etiam singularis adiecta est. Est autem vniuersalis ppositio quæ significat omni aut nuli in esse. id est, in qua prædicatum omni parti subiecti inesse significatur, aut nulli. prioris exemplum sit, omnis qui virtuti dat operam laude dignus est. posterioris, nullam corporis voluptatem esse bonum. particularis quæ alicui, aut alicui non aut non omni inesse significet: id est, in qua quod prædicatur alicui parti inest earum, quasi terminus qui subiectur significat, aut in qua alicui non cōuenit aut nō omni, ut aliquis homo virtuti studet, aliquis non est ad laborem procliuis, nō omnes eadem delectant, aut eisdem gaudēt. Postremò indefinita est quæ in esse aut non in esse significat sine vniuersali aut particulari id est in qua prædicatu subiecto cōuenire significatur, aut ab eo dimoueri nulla prorsus no-

# I S A G O G E

ta aut signo affecto. Ut homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miserijs. Hoc vero propositionum genus indefinitum nominant, quod omnino signo vacet, quo finiatur. Habent quidem cæteræ propositiones signum aliquod quo finiuntur, affectæ. Vniuersalis signum vniuersale. Particularis particulare, At vero indefinita neutru habet.

Signum voco notam qua vbi propositio afficitur certa quedam habitudo exprimitur prædicati ad subiectum. Id est duplex, alterū commune vel vniuersale, peculiare seu particularē alterum. Vniuersale quidem vniuersaliter, hoc est omnino significat subiecto prædicatum inesse. Ut omnis, nullus, quilibet, quicunque. particularē particulariter, hoc est aliquo modo, Ut aliquis, non omnis, non nullus. vtrumque vero duplex est, vnum affirmatiuum alterum priuatium, quorum exempla facile colligi possunt ex superioribus.

Vocemus autem propositionem singularē aut indiuiduam illam in qua subiectum est nomen singulare seu indiuiduum. Ut Socrates sub platano disputare solebat. Et hæc dies aliam vitam affert, alios mores postulat. Duplex est autem nomen (quod ad hæc rem attinet)

IN DIALECT. ARIS. 177  
attinet ynum singulare, alterum commune.  
Singulare vni tantum conuenit, vt Socrates  
Plato hic haec hoc. commune pluribus vt ho-  
mo leo.

Omnis praeterea propositio tribus constat  
partibus, subiecto praedicato & copula. Sub-  
iectum est de quo alterum dicitur. Quasi alte-  
ri pareat subditum quae sit, praedicatum vero  
quod de altero dicitur, celebraturve, quod at-  
tributum Cice. ob eam causam vocat. Copula  
utriusq; vinculum, subiecti inquam & prædi-  
cati. Quæ omnia manifesta esse poterunt cir-  
cumferenti per huiusmodi orationem animū  
sensus & cogitatio hominis ab adolescentia  
sua in malum prona sunt. In qua sensus & co-  
gitatio subiectum est, in malum prona, prædi-  
catum: sunt denique copula, quoniam veluti  
nodo quodam utrunque parte orationis iun-  
git atque copulat.

Ulterius propositio si vniuersitate sumatur du-  
plex esse fertur, altera simplex, quam vulgo  
categoricam vocat. Altera vna coniunctio-  
ne, quæ passim hypothetica vocatur. Sim-  
plex est ea quam paulò ante exposuimus: in  
qua scilicet aliquid de altero assertimus, aut  
separamus ab altero quæ latine prædicatiua  
nuncupari potest. Haec est duplex, alia vna,

Aa      hoc

# I S A G O G E

hoc est vniuoca, in qua vnum de vno, vniuocum inquam de vniuoco prædicatur: vt homo est animal. alia plures, hoc est xequiuoca, in qua vel vnum de pluribus, vel plura de vno vel plura de pluribus prædicantur. i. in qua quod prædicatur est nomen equiuocum, vel quod subiicitur, vel utrumque.

Nomē autem duplex est. vniuocum quod vna ratione multa significat. vt homo: significat namque omnes homines vna eademque positione. A equiuocum quod multa, quorū ratio diuersa est, vbi canis, quod domesticū canem pīscem atque fidus significat, que emnia cum nomine conueniant positione, ratio neq; distinguntur: alia enim domestici canis ratio est, alia sideris, pīscis alia quatenus nomine canis significantur. Coniunctione vna illa oratio vocatur quæ ex simplicib<sup>9</sup> media co niunctione efficitur, vt deus omnia nouit, & rerum omnium curam gerit Nihil autem interest cuius naturæ sit atque officij coniunctio, examinare, vt coniunctam orationem conficiamus, aut vnam cōiunctione. Itaque tot sunt differentiae propositionis que est vna coniunctione, quot sunt genera coniunctionis.

Ex propositionibus rursus quas ad fidē faciem-

ciendam assummimus argumentatio efficiatur, quam philoponus fidem appellat, quare probabilem probabili argumento concludimus. cuius (ut pingui minerua loquamur,) quatuor reperiuntur species. Syllogismus, inductio. entyphema, exemplū. quatuor enim modis duntaxat dubiæ rei fides consuevit fieri. Cum n. nemo possit per se ipsum fidem facere, necesse est hanc ex alijs efficiat. Quod si parte partis fidem faciamus exemplum est: si parte totius, inductio, si toto perfectè totius syllogismus, si imperfectè entyphema. que omnia, ut plenius constare possint, singulae partes fidei faciendæ sunt à nobis suis definitionibus explicanda. primum autem omnium syllogismi definitionem subiiciem⁹, quoniam eo ipso potissimum fides paratur, atque ad eum cætera referuntur.

Est igitur syllogismus argumentatio quædam in qua positis quibusdam aliud quiddam ab his quæ posita sunt ex necessitate accidit per ea quæ sunt posita. Quod est dicere, est fides quædam aut ratiocinatio in qua positarum duarum propositionum duo termini ita iunguntur in tertio aliquo, ut ob id ipsum necessarium sit eosdem inter se in conclusione coniungi. Nam qui velit hominem libidi-

nosum, ignorantem esse monstrare, nullo pa-  
cto melius quam in huiusmodi syllogismo cōfi-  
ciet. Omnis prauus est ignorans, libidini de-  
ditus prauus est, ergo ignorans est. dicitur au-  
tem syllogismus à computando, colligendo,  
& ratiocinādo, sumpta metaphora ab Arith-  
meticis. vt sit syllogizare ex assumptis pro-  
positionibus quasi calculis subductis summā  
argumentorum efficere: & quidem cuin syl-  
logismus motus quidam sit qui ob eam cau-  
sam ratiocinatio uocatur, more solemni que  
instituto motuum cæterorum duplīcēm ha-  
bet terminum, Vnum vnde est motus, alterū  
ad quem refertur, Posterior cōclusio est, quo  
niam ratiocinatione colligitur, prior verò  
antecedens vulgò appellatur: cuius duę par-  
tes sunt non solum nominibus, sed etiam reip  
sa diuersa. Prior maior propositio dicitur à  
Dialecticis, à Cicerone vero simpliciter pro  
positio vocatur. Ab alijs expositio. Quo-  
niam ab ea vniuersa vis argumentandi duci-  
tu. Quia etiam ratione assumptum appella-  
ri solet, posterior verò pars quodd sit sub prio-  
ri collocata ab eademque desumpta subsum-  
ptum dicitur, atque etiam minor propositio.  
Vt iusque tamen illud est commune ut pro-  
positionis nomine cēscatur, quoniā in rei du-  
bię

bię confirmationē proponitur. Quæ sane vox  
minime problematico congruit. Nā problema  
aut conclusio est, Cicerone authore libr. 3. de  
finibus, cum quo sentit Aristoteles lib. prior. aut  
complexio ab eodē vocatur: Quoniam vtrius-  
que propoſiti partes aliquot complectitur.  
Et à Quintilio ratione omnino eadem cō-  
nexio dicitur, à nonnullis denique intentio,  
Quoniam eadem ratiocinatio refertur atque  
pertinet. Necesse est enim interdum varieta-  
tem nominum persequi atque habere pers-  
pectam, ne corundem multiplicitate deci-  
piamur.

Quemadmodum autem syllogismus dua  
bus propositionibus & problemate efficitur,  
ita quoque ut constet, tribus terminis opus  
habet. Quorum unus appellatur datum, alter  
quæsitus, tertius dignitas. Quæsitus voco  
quod vtrum alteri insit rogamus. datum.  
De quo aliud inquirimus. dignitatem po-  
stremò id quo ostendimus & demonstramus  
quæsitus dato inesse. Huiusmodi tamen  
tres termini alijs quoque nominibus magis  
quidem vulgatis, nescio tamen an ita aptis  
atque appositis ad rem explicandam fo-  
lent à neotericis appellari. Nam quod nos  
quæsitus dicimus, illi maius extrellum vo-

Aa 3 cant,

# I S A G O G E

ent, quia cum sit prædicatum in maiori pro positione quodammodo communius est termino qui subiicitur. Datum, Extremum minus, quoniam cum sit subiectum minoris pro positionis inferius prædicato censetur. Dignitatem, medium, quia eius gratia extrema demonstrationis aut iunguntur in conclusione aut abiunguntur. Medium vero bifariam dicitur aut situ & vi copulandi, quod fit in prima figura. Aut vi dumtaxat copulandi, ut in reliquis. Quæ omnia in huiusmodi syllogismum intuenti plana, atque aperta esse poterunt.

Omne animal particeps rationis est aptū ad ridendum, homo animal est particeps rationis, est ergo apt⁹ ad ridendum. In quo aptum adridendum quæsumus est. homo datum dignitas, seu medium, animal particeps rationis. Cuius rei signum est his accipi ante conclusionem. Rogamus enim utrum homini insit aptum ad ridendum: Quod ratiocinatio ne colligimus.

In sunt autem in syllogismis figuræ atque modus, figuram, translatum à geometris vocabulo, definiunt dialectici, conuenientē collo cationem trium terminorum, medijs in quam maioris extremi atque minoris habita ratio ne

ne prædicati & subiecti, hanc triplicē faciunt primam, cum terminus medius vi copulandi est etiam situs medius. Secundam, cum medius terminus est prædicatum in maiori & minori propositione. tertiam, cum subiectū in vtra que est.

Modum vocant dispositionem maioris & minoris propositionis seruata semper conuenienti ratione affirmationis & negationis, constituit autem utiles Aristoteles in singulis figuris aliquot modos. In prima, quatuor. totidem in secunda, sex in tertia. Et quidem cum syllogismum duplicum esse constet, vnum affirmativum, cuius partes omnes ascendent, cuius exempla suppeditauimus. alterū priuativum, cuius duæ partes, conclusio inquam & altera pars antecedentis negant, vt nullum animal est arbor, omnis homo est animal. ergo nullus homo est arbor, prior inde vim habet atque robur necessario, quia quod inest alteri vt omni, inest etiam omni contento sub eo. Nam quia animal omni inest homini, inerit necessario Ioanni qui est homo, critque Joannes animal, & si albū inest omni homini Illephonso, & Gaspari inerit, quoniam vterque homo est. Hoc autē documētū, vt planè cōstat perpetuū est,

I S A G O G E

neque fallere vlla ratione potest, atqui in omni Syllogismo affirmatio perfecto prædicatum maioris propositionis dicitur de subiecto ut de omni, cū vniuersaliter dicatur. Prædicabitur ergo de omni posito sub eo subiecto. Sed minus extremum accipitur sub medio. quare eidem inerit prædicatum maioris propositionis. At in conclusione maius extre-  
mum, prædico de minori, ergo consequentia necessaria efficitur. Posterior verò efficax est ob eam causam, quod si quid negatur de aliquo omni, negatur etiam de contentis sub eo. Si nullus homo albus est, Socrates albus non erit: est enim homo. In omni autem syllogismo perfecto negatio in maiori propositione mai⁹ extremum negatur de omni me-  
dio, ergo de positis sub eo. Quare cum minus extremum accipiatur ut comprehensum sub medio negabitur, sanè de eo in conclusione maius extremum. In conclusione autem prædico negatiue maius extremum de minori. Ergo necessario efficitur conclusio, horum tam omnium exactiorē explicationem in explanationem librorum de priori resolutio ne reiijcimus.

Syllogismus vero multis modis considerari potest, aut enī ex perfectione, & est du-

plex

plex, perfectus & imperfectus. Aut ex forma  
& est quoq; duplex ali⁹ cathegoricus aut sim-  
plex, qui ex simplicibus propositionibus fit.  
Alius hypotheticus siue compositus, qui ex  
coniunctis efficitur, de utroque tamen suo lo-  
co atque tempore dicemus. Tertio modo ex  
terminis: Et est similiter duplex, vniuersalis  
vnus qui communibus terminis constat alias  
expositorius qui ex singularibus fit in tertia  
figura. Postremo ex materia, & est quadru-  
plex. Denonstratiuus, Dialecticus Tentati-  
uus, Sophisticus, Horum enim singuli cū syl-  
logismi rationē, finitionēque suscipiāt, mate-  
ria tantū qua constat diuersi sunt. Neque p̄e-  
ter hos excogitari vllus alius possit. Nam cū  
ea de quibus orationes fiunt, aut vera sint aut  
probabilitia, aut apparentia, ex veris demon-  
stratio efficitur: nam Syllogismus demōstra-  
tiuus est, qui procedit ex primis, veris, at-  
que immediatis, prioribus, notioribus, causis  
que conclusionis: aut, vt apertius dicā & bre-  
uius, qui ex priinis & veris, aut ex his que per  
prima & vera sumpta sunt perficitur Syllo-  
gismus. Prioris exemplum sit, Omne animal  
rationis particeps est capax disciplinæ. Om-  
nis homo est animal rationis particeps. ergo  
omnis homo est capax disciplinæ, vtraque

Aa 5 enim

## I S A G O G E

enim propositio que accepta est ad inferendam conclusionem prima censetur quia medio vacat, quo possit Syllogismo colligi. Posterioris vero exemplum hoc sit. Omne animal nutririri potest. homo animal est. nutririri ergo potest. Nam maior illa propositio prima non est, cum medium habeat quo colligi possit. Illud videlicet omne corpus animatum nutririri potest. nam cum animal corpus sit, nutritiri quidem potest, neque haec omnino prima censenda est cum sit ea propositione alia longe prior que causam exprimit, propter quam quidpiam nutritiatur. Ea est, omne quod habet animam vegetalem nutritiri potest. Nam ratio cur quidpiam nutritiatur est, quia vegetal anima est predictum, cuius peculiaris facultas est ea qua nutrimur.

Probabilia vero cum sint in duplice differentia (alia n. sunt simpliciter probabilia, alia illis sunt taxata, cum quibus sit disputatio) si syllogismus assumat simpliciter atque omnino probabilia, qualia ea sunt quae initio huius disputationis definiuimus; Dialecticus sane erit. Nam syllogismus dialecticus est, qui ex probabilibus efficitur. At vero si exhibet quae apparent respondentem constet tentatiuus. syllogismus n. tentatiuus ex his colligit conclusionem

quæ

que probabilia videntur respondēti. Et quæ necessarium est habere eum qui simulat se habere scientiam. Postremo si ea de quibus sūt orationes probabilia videantur, fiet ex eis sophisticus syllogismus, aut contentiousus. Nā syllogismus sophisticus est, qui conficitur ex his quæ probabilia apparent, non sunt tamē. Est præterea alia forma argumentandi, quā soritem aut coaceruationem appellant. Sed ea parum à syllogismo differt nam aut syllogismus est mutato tantum ordine propositionum. Aut ex pluribus syllogismis constat. Quare compositus syllogismus vocari merito potest.

Sorytes verò hac ratione diffiniri potest argumentandi forma in qua ordine cogestis pluribus vocibus necessariò coherentibus extremitate tandem partes inuicem connectuntur. Hæc est duplex: aut enim ex simplicium propositionum serie connectitur, vocatur quæ simplex: aut ex conditionalibus, & appellatur hypothetica, aut cōditionalis. Prioris generis est illa forma. Omne bonū est exceptendum omne expetēdū placet, omne quod placet diligēdū omne diligēdū probandum omne probandum laudabile omne laudabile honestum. omne ergo bonum honestū.

Quoniam

Quoniam vero simpliciter & vno tantum modo simplex coaceruatio dicitur, hoc sit satis exemplum posuisse. Hypothetica duplex est, aut enim posito primo antecedenti infertur ultimum consequens, quod prima figura conditionalium contingit. Aut infirmato ultimo consequente tollitur primum antecedens ut sit in secunda figura. Prioris exemplum. Si Deus est, iustus est. Si iustus est, reddet cuique quod meretur. Quod si fit, reddent supplicium improbi. Et cum hic bene habeant, futurum est post hanc vitam iudicium. At est Deus, ergo futurum est iudicium. Posterioris exemplum. Si sapiens irascitur, concupiscit. Qui concupiscit rem consecutus latatur, si latatur alicuius malo gaudebit. At non est sapientis gaudere alieno malo, ergo neque irasci.

Secunda species argumentationis inductionis est, quam Cicero enunciationem vocat. Est autem induc<sup>tio</sup> fides quae ex partibus totum, aut ex peculiaribus commune colligitur. Ut plebs, senatus, equestris ordo de te magnificè sentit: ergo & ciuitas vniuersa. Animaduertendum tamē hoc loco est, esse ad modum necessariū nihil omnino preferire eorum quae sunt sub vniuersali comprehensa, sicupiam quidpiā inductione cōfiscere. Nā si quid à nobis

nobis p̄termissum sit, haud dubiū equidē est, quin vitiosa cōtinuo reddatur fidei efficiēdē ratio, & quoniā laboriosum admodū est singula recēdere, particula quædā subijci solet, quę reliquas itē partes vel species eodē se habere modo significet: Quā hypothēsim elegātiores homines vocare cōsucuerunt, Barbari dicunt, & sic de singulis. Ea enim ratione efficiatior longe, atq; violētior efficitur argumētandi per inductionem forma.

Est duplex induc̄tio, vna perfecta quę omnibus partib⁹ cōstat. Altera imperfecta, quę aliquot dūtaxat, perfecta rursum triplex est Dialectica, quæ proximè à nobis est exposita. Oratoria, quę ex multis similibus colligit vniuersale. Postremo, Socratica: cum ex plurib⁹ inter se similibus enumeratis, aliud quidam quòd in cōtrouerſia est, propter similitudinē colligitur, ut in Rhetoricis ad Theodeſtē ab Aristo scriptū est. Cuius exempla, tametsi apud Platonem philosophū, plurimā facile suppetāt placet in presentia vno subiecto rem explicare. Ut si quis dicat: quę est arb̄or generosissima? Nonne quę est optima? Et quis canis generosissimus: nonne qui optimus? Idem que in cæteris rebus iudicandum. Quid igitur homo? nōne is generosissimus

## I S A G O G E

mus qui est optimus . Duæ tamen istæ par-  
tes & rationes argumentandi , syllogismus  
atque induc̄tio dialecticæ vulgo putantur.  
Quæ verò cum his affinitatem habent En-  
thymema & exemplum , rhetorum potius  
sunt , quam dialecticorum . Non quod his  
dialecticis uti non sinantur (frequenter enim  
illis fidem faciunt ) sed quoniam frequen-  
tius in v̄su rhetori sunt . Quæ res hortatur  
ut de vtraquè parte pauca quædam in pre-  
senti dicamus . Prius tamen pro compre-  
hensione habendum est , inductionem a syllogis-  
mo differre multis rationibus . Prima qui  
dem quia inductione explicantur proposi-  
tiones quæ medio vacant , non possunt au-  
tem syllogismo colligi , ob eam ipsam rem  
quod medio carent . Secunda quia syllogis-  
mus maius extrellum per medium natura  
notius de minori demonstrat . Induc̄tio ve-  
ro per minus extrellum planius nobis de me-  
dio maius ostendit . Tertia : induc̄tio syllo-  
gisimo communior est . Quart a induc̄tio non  
est admodum efficax , sed verisimilis tantum  
Multa enim accipit quæ percurri nō possūt ,  
quia infinita sunt . cum sint particularia : syl-  
logismus autem efficax est . & magnam vim  
**contra aduersarium** habet : conductit tamen  
indu-

inductionem non solum ad explicanda principia sed etiam ad ornatum orationis. Enthymema syllogismus imperfectus est ex icotibus & signis, hoc est ex his quæ planè atque omnino sunt probabilia, aut ex quibus alia inferuntur necessario. Nam ycta latinis sunt probabilia, verisimilia, & consentanea. Exemplum est, mater diligit filium suum. homines oderunt qui sibi male volunt: hæc enim utraquæ tametsi perpetuo vera non sint consentanea quidem sunt. Signum vero quo ex quo alterum necessario colligitur, siue id natura sua probabile tantum sit, siue necessarium. Ut lac habere in mammillis signum est mulierem concubuisse cum viro. Sunt autem signa triplicia, quædam una cum ipsa re ut si fumus est ignis est. Alia antecedunt rem, ut lac habet, ergo breui pariet. alia consequuntur: ut cinis est, ergo fuit ignis. Boetius alia ratiōe definit enthymemā, illa inquā, est argumentatio in qua nō omnibus præmissis positis festinata precepitq; infertur conclusio qua definitiōe forma enthymematis exponitur. Priori vero materia. Dicitū est enthymēma à deliberādo & cogitādo. Nā cum breuitatis causa hec argumētandi forma excogita ta sit nihil autē cogitatiōe sit celerius, omnia

## I S A G O G E

cū penetret, vt Solon dixit, recte hæc ratiocinandi, forma enthymema vocatur. Verum cum multis modis enthymema fiat, præstantissimum eius genus ex contrarijs efficitur. Ut non aderat cum res euenit, ergo non fecit interdū dū simpliciter effertur, vt pro Milo ne, ei viro mors parabatur, in cuius vita salus nitebatur ciuitatis. Interdum per interrogationem. Ut in eadem oratione. Eius mortis sedetis vltores cuius vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis aliquando ratio subiungitur vt quando ego non timui grauiora pericula veris: res est iolici plena timoris amor. Quę vt interdum rem consequitur, ita etiam nonnunquam antecedit. vt ebrietas mentem aufert: fugienda ergo. Frequenter cum conditione, vt si iustitia est virtutis propugnatrix, Ergo est sine furore. Enthymema rursus partim cum syllogismo euenit, partim ab eo differt. Cum syllogismo illud habet commune, quod ijs constat que non à sensibus sed ab intellectu proficiscuntur. Differt, quod in syllogismo partes omnes propositi connumerantur, atq; ob eam causam syllogismus perfecta censetur fides: in enthymemate altera pars supprimitur imperfetaque fides ideo vocatur. Nam cū syllogismus duabus

bus enunciationibus concludatur, Enthyme-  
ma alteram tantū exprimit, modo priorem,  
posteriorem modo. Exemplum, Clodius pa-  
rauit insidias Miloni, ergo iuste à Milone  
occisus est. huius enim ratiocinationis affer-  
uatur animo maior propositio, qua nititur to-  
ta vis ratiocinij. Quicunq; inquā, alteri pa-  
rat insidias iuste occidi potest, cum iure natu-  
ræ vim vi liceat repellere, Interdum autem  
maior. exemplum. Qui alteri parat insidias  
iuste occidi potest, ergo Clodius iuste est oc-  
cisis, & quanquam citra controuersiam atq;  
discrimen ullum vtrauis comprehendendi ani-  
mo poscit, frequentius mente retinemus ma-  
iorem, non modo quod extra causam sit, aut  
perspicua magis, quām vt exprimi cōueniat  
citra fastidium iudicum atque auditorū : sed  
etiam quòd minus mouere solet. Alterā, quo  
niam vehementiores aculeos infigit, cum ad  
visum pertineat, per quem quæ in animū de-  
mituntur, vehementer cundē solent irritare,  
raro animo reticemus. quanquam autem en-  
thymema à syllogismo differat, ad syllogis-  
mum reducitur, ad quem tanquam ad amus-  
sim examinatur atquè perpenditur. id fit ad  
iecta ea parte quæ animo fuerat retēta. Hoc  
eo pacto peragitur. Cum in eo tres reperian-

Bb tur

# I S A G O G E

tur termini, pro medio accipi debet qui in cō  
clusione minime collocatur. Pro minori ex-  
tremo qui semel tantum in ratiocinatione cō  
stituitur. Exemplum. Qui parat alteri insi-  
dias, iure ab eo occidi potest, Clodius Milo-  
ni insidias tetēdit, ergo iure ab eo occisus est.  
Sunt enthymemata in duplice discrimine,  
Quędā simplicia, duplicita alia, simplicia tri-  
bus tantum terminis perficiuntur. Duplicita  
quatuor constat. Posteriora hęc quoniā vir-  
tute & facultate multa sunt, in plures syllogis-  
mos resoluuntur. Exemplum: homo currit er-  
go animal mouetur. hoc n. ad duas istas par-  
tes reducitur. Homo currit ergo animal cur-  
rit. Animal currit ergo animal mouetur. Ex  
quibus duo isti syllogismi efficiuntur, Homo  
currit, & omnis homo est animal, ergo ani-  
mal currit. Omne quod currit mouetur, ani-  
mal currit: ergo animal mouetur.  
Exemplum argumentatio est in qua medio  
extremum inesse ostenditur per id quod est  
simile tertio. hoc est imperfecta quędā fides,  
in qua ex una parte totū, vel ex particulari  
vniuersale colligitur propter similitudinem.  
Exēplū, Niniuitis ad meliorē mentē conuer-  
sis perpercit Deus, ergo & nobis parcet, si pec-  
catorū penituerit. Est autē exēplū aptissimū  
quidem

quidem ad arguētāndū in his quę pertinēt  
ad mores. Nūquam enim homines ad arduæ  
virtutis fastigium vehementius incenduntur  
aut à vitijs pertrahuntur fortius, quām propositis in vtrāq; partē exēplis, quoī nobis cōpia historiā affatim suppeditat atq; ob eā rē  
necessē quidē fuerit in ea versari diligenter.  
Proprie autē exēpla dicuntur cū ex cōmme  
moratione rei gestę, vel tanquā gestę aliquid  
colligitur. Ut si quis colligat, glorioūm esse  
futurūm Carolo Imperatori causa religionis  
cumi Turca immāniſimo tyranno dimicare,  
quia Dauidi glorioſum fuit ppietate atque  
Deo bellum gerere. danda est autem opera,  
vt quę exemplo similitudo significatur ad  
rem pertineat. Hoc est in cauſa sit, cur vnum  
alteri insit. alioqui nulla vis exemplorum  
erit. Ducuntur exempla à maiori, mino-  
ri, pari. Sed de his in locis Dialecticis dis-  
ferendum est à nobis, vt superuacaneum sit  
hoc loco de ea re disputare. Habet exemplū  
cum inducione magnam affinitatem, cum  
sit inchoata atque imperfecta inducīo. Quo  
niam vero syllogismus optima, atque perfe-  
cta argumentādi forma est inducīo atque  
exēplū explorabit. Quare ad cū referre cōue-  
nerit formam vtramque, diuersa tamen via

## ISAGOGE

modoquē. Nam dum induetio ad sylllogismū  
reducitur pro medio termino accipitur dis-  
iunctum constans omnibus individuis . pro  
minori extremo terminus ad quem fit indu-  
etio. Pro maiori prædicatum. cuius rei exem-  
pla assignare non est difficile. Hęc igitur sa-  
tis sint ad explicandam rudi& pingui minor-  
ua naturam quatuor partium argumentatio-  
nis. Pr̄terea etiam ut sub quadam breui-  
tate instruamur ad dialecticam, cęte-  
ra omnia suis locis dis-  
serentur.

FINIS.

SVMMA DIALECTI  
CAE ARISTOTE-  
leæ, eodem au-  
ctore.

AD CHARISSIMOS AVDI  
tores Gaspar. Cardi. Villal.



*V*M primum vos instituen-  
di curā suscepī, auditores cha-  
riſimi in animi induxi, vt  
vobis prodeſſem, nequè labo-  
ri, nequè ſumptibus, nequè ſi ſit opus, vitæ  
parcere. Et quamquam hactenus, quan-  
tum in me ſitum fuit aperta huius mei ani-  
mi ſigna præbuerim. modo in vestrā gra-  
tiam quoddā aliud, nequè obſcurum neq;  
leue teſtimoniū præbebo huius meæ pater-  
næ charitatis erga vos. Quod ſi ampliſſi-  
mo iſti gymnaſiotantum probetur, quan-  
tum quorumdam doctorum virorum at-

Bb 3 que

quæ etiam proborū hominū opinioē p̄bāri  
video, magnopere me cōsolabor, atq; adrelī  
qua contendā alacrior. Positū est, qđ vos  
p̄bē nostis, in more hui⁹ nostri gymnasij,  
vt qui designātur ad lauream magistralē  
vel sunt gradū bachelareat⁹ suscepturi  
publicū studiorū dialecticæ & philosophie  
periculū exhibeant. Ad eam rē ab ingenio-  
sis adolescentib⁹, inter cetera cōparari cog-  
nitio solet multorū capitū dialecticæ & phi-  
losophiae Arist. quæ illi p̄ arbitrio iudicū  
memoriter recitarit. Horū capitū, quorū iu-  
betur rationē reddere, qui hūc honoris gra-  
dū ambiūt, summā efficiūt, & vbertate orationis  
Arist. in cōpēdiū redigūt: quo cōmo-  
di⁹ ea memorię mādet. Hāc diligētiā, que  
tametsi p̄ se laude dignata sit, qa, si vt par-  
est, impēdatur, multos vsus studiosis Arist.  
doctrinæ adfert, qm̄ t̄merē fortasse collo-  
catur, multa cōsequūtur in cōmoda: quorū  
in p̄sentia illud attingā, ne quispiā iure pos-

si te existimare, me inscribere te pro, aut operam  
per didisse. Cum diffile atque arduum sit, doctis  
etiam atque eruditis hominibus in compendium pro-  
dignitate rei Arist. redigere, propter summam  
eius viri inscribere obscuritatem, et recordi-  
ditam rerum, quas tractat cognitionem, tam pro-  
cul absunt saper numero qui hoc tentant effice-  
re a vera atque germana Arist. sententia ut  
nihil supra. Fit nam interduo, quod nos aliquan-  
do deprehendimus, ut quod Arist. adducit ad  
faciemdam rei dubie fidem. hoc illi putet proba-  
duo accepisse. interduo vero frigidas quasdam  
atque ineptas sententias colligit. atque ut uno  
verbo dicatur, dat saper numero sine mete sonus.  
Quod si hoc timor incompedit probi isti adoles-  
centes ex eare referreret, quod maximus anest, tol-  
lerari videnturque poterat: quis autem quod bene mo-  
ratus sit et aliena comoda propositus a quo  
animo illam iacturam pati possit, quam  
vnius integri anni huiusmodi adolescentes  
faciunt, cum praetermisso studio librorum de-

physica auditione, preceptores cogunt ea rur  
sum docere: quæ de dialectica proximo an  
no audierant: ob eam maximè rem, Ut cō-  
pendium istud dialecticæ conficiant, & cō  
mendent memoriae.

Ego verò cum vehementer cupere stu  
diosis bonarum artium esse consultum: &  
me grauiter angat inueteratus atque per  
uersus iste mos, statui apud animum meū  
cæteris occupationibus non nihil temporis  
surripere quod huic vni negotio conficien  
do impenderem. Paucis igitur diebus sum  
mam eius partis dialecticæ confeci cuius  
ratio exigi solet publicè ab his qui ad baca  
laureatum adspicunt: idem facturus in  
philosophia, nisi noster hic labor rei publice  
literariæ causa suscepimus, inanis & super  
uacaneus videatur. quæ ego præsentia am  
plissimæ huius academiæ, conditioni pluri  
mum arbitror conuenire. maiorem enim

cūsum

ut sum capient haud dubie ingeniosi adolescentes ex hac nostra diligentia, quam si laborent per se doctrinæ Aristoteleæ summam efficere. Boni ergo consule auditor op time & candide lector, hanc ipsam nostrā operam: & me qui illa tibi exhibeo ea benevolentia, & charitate prosequere, qua pars est prosequi eum qui ut tibi profit omnes labores putat leues. Ex collegio & bibliotheca nostra.

10. Calendas Aprilis.

1558.

Bb 5 gPRAE-

# P R A E A M B U L A

## AD PORPHYRIVM.



IC liber à Porphyrio scriptus est Chrysaorij gratia quem instituebat ut ex proœmio constare possit. Eius titulus est Isagogē hoc est, introductio. conductit enim ad comparandam cognitionem philosophiæ, cuius instrumentum logica est, ad quam proxime pertinet notitia eorum, de quibus in præsentia Porphyrius disputat. Differit in codem de quinque vocibus communibus, quibus omnia continentur. illæ sunt, genus, differentia, species, proprium, atque accidens. Diuiditur hæc ipsa disputatio in duas partes, priori parte continetur proœmium. posterior tractationem vocum istarum habet.

Quinque vocum tractatio duas partes habet. cum enim de eisdem possit disputari bifariam, primū de singulis per se, & sine cōparatione: deinde comparatè Porphy. vtroque modo de his vocibus disputat. nam naturam atq; substantiam quinq; vocū explanat, dein

de

de voces ipsas inter se confert.

Post proœcium, quinque proximis capitulo bus Porphyrius docet quæ sit vis atq; natura istarum quinq; vocum. postremo capite per cōparationem voces explicat, docens qua ratione inter se conueniant, atq; inuicem differant. nam cum sit hoc posterius, quām natura & substantia ipsarum vocum, explicata. vocum naturā, hoc ipsum explicari debuit.

Proœcium.

In præsenti capite Porphyrius ostendit quæ nam sint ea, de quib⁹ disputare debeat, & quæ vsum ex his rebus possimus capere: hortatur deinde ad lectionem huius libri non solū propria utilitate, sed duni proponit modū quæ seruare debet in his explicandis. Inquit ergo Porphyrius, se dictum, de genere, differencia, specie, proprio atq; accidenti, rationem reddit cur de his agat, dicens, necessarium est se cognoscere quid sint singula istorum, ad intelligendas categorias Arist. ad assignandas rebus definitiones. ad faciendas diuisiones, atq; etiam ad demonstrationes conficiendas. Quòd autem necessaria sit cognitio quinque vocum ad hæc quæ diximus, hinc constat. in primis necessaria est ad categorias, quoniā in categorijs facit mentionem Aristot. istarum vocum

Summa dialecticæ

vocum, sed eas non explanat eo loco, ergo necessarium est earum prius cognitionem comparare ad definiendum: deinde necessarium est cognoscere has voces, quoniam quod definitur species est, ipsa vero definitio, genere & differentijs, vel proprijs vel communibus accidentibus ad naturam proprij redactis, constat.

Tertio ad diuidendum, quoniam diuisio est generis in species, per differentias, vel propria, vel accidentia.

Postremò ad conficiendas demonstraciones, nam potissima demonstratio definitionē pro medio accipit, per quam de specie, quae minus extreūm est, proprium quod est maius extreūm colligit, ut omne animal rationale est aptum ad ridendum, homo est huius modi, ergo ast aptus ad ridendum.

Deinde modum tractandi de his vocibus aperit, cum inquit se de eisdem dicturū, quae didicit à maioribus, atq; id breuiter, & modo introductionis, hoc est, perspicue.

Quamobrem quæstiones quæ de vniuersalibus tractari solent, inquit Iprætermittendæ sunt: quoniam obscure admodū sunt. neque facile percipi poterunt ab his qui rudes sunt primæ philosophiæ. sunt autem hę quæstionas

qua stractare recusabo: vtrum genera & species quæ sunt vniuersalia, sint in natura rerū: an potius sola animi consideratione constent Deinde si existunt in natura rerum vtrū corporata sint an expertia corporis. Postremo si corpore vacent, vtrum collocata sint in rebus sensibilibus, an potius ab eisdē diuulsa. Quare de genere atque specie, & ceteris vniuersalibus vocibus ea tantum inquit, aperiā quæ probabilia sunt, & ad sensum popularem accommodantur. Quibus explicandis nō tam quod ipse sentiani, referam, quam quid veteres philosophi, maxime verò peripatetici, pabuliter de his vocibus dixerint.

### *De genere,*

**D**E genere differit primum omnium, quoniam notius est quām ceterę voces. est. n. communius : deinde quoniam in categorijs prius facit Arist. mentionem generis, quā vllijs alterius, in secundo ante prēdicamento, cum ait, diuersorum generum.

### *Caput de genere.*

**E**xplanat præsenti cap. Porphy. vim & naturam generis adducta in medium eius definitione: quam probat legitimam esse àd similitu

## Summa dialecticæ

similitudine cæterarum vocū: ut accipiat autem genus dialecticum recenset initio duos alios generis usus, qui cū genere dialectico magnam habent affinitatem. Primum quidē genus dicitur collectio aut familia multorum, seruantium inter se aliquam habitudinem, & in ordine ad aliquid tertium quo ipsa familia ab alijs distinguitur. hoc intellectu familia pelopidarum atque heraclidarum genus dicitur.

Deinde genus dicitur unius cuiusq; ortus principiū siue pater sit, siue patria. hoc intellectu Hercules gen⁹ vocatur heraclidarū & Pelops pelopidarū. Athenæ genus Platonis, & Pandari Thebas, & genus quidem priori significacione nobis est prius, natura vero posteriorius.

Tertio genus vocatur illud cui supponitur species. ut animal, sub quo ponitur homo. couenit genus istud cum duobus superioribus, quoniam ut genus prima significatione multa colligit, sic genus tertia. Deinde, ut secunda significatione est principium ortus, ita tercia significatione genus usurpatum principium est, ex quo efficiuntur species. cum ergo tribus modis potissimum genus dicatur tertia significatione à philosophis & dialecticis usurpatur, et ita describitur.

Genus

Genus est quod prædicatur de pluribus differentiis specie, in eo quod quid est. hæc verò exacta descriptio est, quoniam neque in ea quidpiam desideratur neque quidpiam redūdat, quod porphyrius à dissimilitudine animalium vocum verum esse ostendit. hoc ut demonstrat, proponit vocum divisionem, voces inquit aut de uno tantum dicuntur, aut de pluribus, si de pluribꝫ aut prædicantur in eo quid est, aut in quale, si in eo quā quale, aut in eo quā quale simpliciter dicuntur, aut in quale quid. gen⁹ ergo quoniam de multis prædicatur ab individuo differt, quod tantum dicitur de uno. abs specie vero, quia illa de pluribus differentiis numero dicitur, genus de pluribus specie diuersis. à differentia vero proprio atque accidenti, quoniam hæc prædicatur in quale, genus vero in eo quod quid est, ergo cum omni & soli insit generi, propria est atque exacta notionis generis descriptio.

## De specie.

**C**onsequitur species quoniam generis relatum est: relata vero ut explicentur mutua opera indigent. Est autem relatum, qua ratione ad genus referuntur sub quo collocatur, non qua ratione de inferioribus dicitur: nam

hoc

Summa diale<sup>t</sup>icæ  
hoc sensu vniuersale est , non relatum gene-  
ris.

Caput de specie.

In præsenti capite explanat Porphyrius na-  
turam speciei quæ ad diale<sup>t</sup>icos pertinet  
hoc vt efficiat recenset prius quandam aliā  
significationem speciei quæ conduceat ad ex-  
plicandam speciei diale<sup>t</sup>icę vim & naturā:  
ea sic habet , species vocatur vnius cuiusque  
forma, quo sensu Euripides in phœnisis dixit  
Primum tibi, species contingat digna impe-  
rio. quo sensu similis est speciei diale<sup>t</sup>icæ , si  
quidem illa informe genus natura sua for-  
mat, atque indiuiduis sub se collocatis specie  
tribuit. species verò diale<sup>t</sup>ica trifariam ex-  
plicatur: Primum species est quæ ponitur sub  
definito iam genere, vt homo . nam sub ani-  
mali ponitur.

Deinde, de qua genus prædicatur in eo qđ  
quid est: vt homo, de quo animal in eo quod  
quid est prædicatur. respōdet Porphyrius obi-  
ter tacitæ obiectioni, posset quispiam dicere  
inepte facere eundem , quia definit speciē  
per genus, in cuius definitione speciem prius  
collocauerat: nihil mirum est inquit, nam cū  
genus & species relata sint necesse fuit in defi-  
nitione utriusque utroque vti.

Postre

Postremo species est quod prædicatur de multis numero tantū differentibus, in eo quod quid est, ut homo. prædicatur enim de singulis hominibus, in qua<sup>n</sup>tione rogante quid est: nam cum quærimus quid Socrates sit, hominem esse dicimus.

Comparat Porphyri<sup>o</sup> inter se tres istas spe ciei descriptiones, dicens, duas superiores conuenire etiam illis formis quæ infimæ nō sunt istam vero postremam solum conuenire infimis formis.

Arrepta hinc occasione docet quæ sit for ma infima, quæ intermedia, quod etiā supremū genus. ut enim supremum genus vocatur quod genus est non est species. neque supra se habet ullum superius genus, ita quoq; infima species est quæ species est & nullo modo genus, & quæ sub se nullas habet species. hoc constat à dissimilitudine generis intermedij quod partim genus est, partim species. Est enim superioris generis species, inferioris for me, genus. vnde extrema, genus inquam supremū, atque infima species, solum habet unam habitudinem, nam genus ad inferiora comparatum genus tantum dicitur. infima etiam species, species tantum est siue ad genus superior referatur, siue ad individua. Inter me

Cc dia

Summa diale<sup>t</sup>icæ

dia verò duas habent habitudines. nā genera  
atque species dicūtur, ad diuersa comparata.  
Hoc ipsum verum esse exemplo mōstrat Por-  
phyrius categoriæ substantiæ, in qua omnia  
quæ à nobis dicta sunt plane insunt. Ea est, sub-  
stantia, corpus, viuēs, animal, homo Socrates  
Plato. in qua quidem, substantia, supremum  
genus est & solum gen<sup>o</sup>. homo infima species  
& solum species, Corpus, viuens, animal quæ  
sunt intermedia, partim genera sunt, partim  
species. Sunt enim genera inferiorum. spe-  
cies vero superiorum. Quòd autem hoc ip-  
sum reperi possit in categoria Arist. probat  
sumptò argumento à simili, familia. n. per si-  
milis est categoriæ, at qui in familia hoc con-  
tingit, ergo idem eueniet in categoria. In fa-  
milia enim est aliquis qui pater sit non filius  
vt Iupiter. Aliquis qui sit filius non pater vt  
Orestes. sunt etiam intermedij qui ad diuer-  
sos comparati patres sunt atque filij vt Tāta-  
lus, Atrides, Agamemnō. differt tamen quòd  
in familijs omnia ad vnum reducuntur quod  
sit principium multarum familiarum, nem-  
pe ad Iouem, in categorijs vero hoc nō ita cō-  
tingit. neque enim est ali quod vnum commu-  
ne principium ad quod referantur omnes  
categoriæ. Nam si quod esset maxime ens.

Sed

Sed ens non est commune genus. quod demōstrat Porphyrius testimonio Aristotel. libr. quarto metaphysicorum, qui ait, ens non esse vnum sed æquiuocum.

Ex his colligit primum, quod cum non sit vnum genus omnium categoriarum, & decē sint categorię, decem sunt quoque genera suprema tanquam decem rerum prima principia. species vero numero aliquo perpetuo cōprehenduntur, tametsi ille nobis ignotus sit. at indiuidua sunt infinita: nam non semper eodem constant numero: cum oriātur atque occidant, quo specans Plato prēcipiebat descendentes à supremo genere quiescere in infra specie, neque transire ad indiuidua: quia cum infinita sunt ad disciplinas non pertinet cum autem descendimus, diuidimus: cum ascendimus, colligimus. nam vniuersale colligit. Particulare diuidit.

Comparat deinde voces ipsas inter se: quā comparationem duab⁹ regulis explicat: quarum prima est, maiora de minoribus prædicātur: & paria de paribus. quod intelligendum est secundum naturam atque per se. Ut homo est animal, homo est aptus ad ridendum.

Secunda regula, de quibus prædicatur species de eis dicitur genus speciei: & genus

## Summa diale<sup>c</sup>tice

eius generis vsque ad genus supremum hoc  
pa<sup>cto</sup>. Socrates est homo , homo est animal,  
animal corpus: corpus substantia. ergo Socra-  
tes substantia. semper enim superiora de infe-  
rioribus prædicatur. quare supremum genus  
de omnibus prædicatur. inter media de for-  
mis atque ipsarum formarum individuis. in-  
dividuum denique de vno tantum prædicatur,  
vt Socrates. ratio vero cur Socrates atque  
id genus alia individua dicantur, ea est, quo-  
niam singula constant collectione quadam pro-  
prietatum, quæ nunquam in alio erit eadem.  
communes sane proprietates non speciei tan-  
tum, sed omnibus individuis que sub specie  
comprehensa sunt, insunt. proprietates vero  
individualium minime. postremo comparat  
genus speciei & individua, atque ait, genus  
totum esse, individuum autem est pars spe-  
ciei, species denique totum atque pars. totum  
si ad individuum referatur. pars si ad genus.

## *De differentia.*

Post genus & speciem existit differentia:  
Per quoniam præstantius prædicatur, quā pro-  
prium atque accidens. nam in quale quid  
dicitur. duo reliqua in quale tantum.

Caput

## Caput quartum.

**A**RISTOT. vult docere præsenti capite quid sit differētia. quoniam verò ea multis modis usurpatur, illos recenset ut veram differentiam accipiamus, quam per diuisionem colligit. constat hoc caput duabus partibus: in priori quatuor adducit diuisiones. in posteriori verò quinque definitiones.

Prima diuisio est, differentiarum, alia communis, alia propria, alia maxime propria. differentia communis est accidens separabile, quo vnum differt ab alio, vel à se ipso ut fere. Differentia propria est accidens inseparabile quo vnum ab alio, vel idem à se ipso differt. ut similitas nasi. cicatrix quæ ex vulnera obcalluit. maxime verò propria quæ constituit speciem, ut rationale. conueniunt inter se, quoniam omnes faciunt rem dissimilem. differunt trifariam: primum quia communis & propria rem faciunt diuersam, maxime verò propria, rem facit aliam. Deinde, maxime propria differentia genus diuidit & constituit speciem, reliquæ verò minime.

Secunda diuisio, differentiarum alia separari potest, alia non potest. communis quidē differentia separari à re potest: propria & maxime propria, non potest.

Cc 3

Tertio

Summa diale<sup>c</sup>tice

Tertio, carum differentiarum quæ separati non possunt quedam per se inest rei ut rationale, mortale. alia verò fortuitò inest ut a qualib<sup>e</sup> esse, vel simū . prioris generis est maxime propria differentia . posterioris proprias.

Hę tribus modis differunt, primum, differentia per se conductit ad diuidendum & diffinendum. differentia ex accidenti minime. deinde differentia per se iuncta generi facit aliud, nam facit speciem. differentia ex accidenti, minime. tertio, differentia per se non dicitur magis aut minus : neque enim unus homo magis minus ve rationalis aut mortalis altero dicitur, altera differentia magis dicitur aut minus. nam magis simum unus. quā alter dicitur.

Quarta diuisio differentia quæ per se inest rei aut diuidit genus aut speciem constituit. rationale enim & mortale hominem faciunt: iunctæ etiam irrationali , & immortali animal diuidunt.

Propositis quatuor superioribus differentiæ diuisionibus Porphyrius differentiam definit, non omnem illam quidem, sed dun- taxat quæ genus diuidit & constituit spe- ciem, eius quinque finitiones tradit, qua- cum prima sumitur ab effectis: ea sic habet.

differen-

differētia est qua species superat genus. vt rationale & mortale. nam genus qua genus est differentiam non habet. species verò qua species est constat genere & differentia.

Soluit deinde Porphyrius quandam dubitationem, ea est, vnde species habeat differentias, non enim satis constat vnde eas habeat. nam neque à genere accipit, alias duo posita essent simul in eodem genere, nempe duæ differentiæ que opposite sunt. neque à nullo differentias habere existimādum est, quoniam ex nihilo nihil sit. Respondet speciem actione habere differentias, quas accipit à genere in quo illæ existunt potestate.

Secunda definitio. Differentia est que de multis specie diuersis in eo quod quale quid est prædicatur, vt rationale, mortale. bifariā autem probat differentiam prædicari in quale quid, Primum quoniam rogati de specie qualis sit per differentiam respondemus, vt qualis homo est, rationalis. deinde à simili nā differentia per similis est formæ rei naturalis atque etiam arte constatis, atqui utraque forma qualitatis rationem habet, ergo & differentia, qualitas substancialis est, atque in eo quod quale quid est prædicatur.

Tertia definitio, differentia est quæ di-

Cc 4 uidit

## Summa dialecticæ

uidit ea quæ idem generi subiecta sunt, vt rationale: diuidit enim hominem à bruto, quorum vtrumque sub animali continetur.

Quarta definitio, differentia est qua res inter se differunt, vt rationale.

Quinta definitio corrigit quartam, neque enim satis est ea distingui species, nisi illud ceterā habeat, vt pars rei sit, quæ ei⁹ essentiam atque substantiam perficiat.

Differentia verò differentia vocatur, qua ratione res distinguit diuersas forma verò dicitur eius speciei quam conficit.

### *De proprio.*

**P**roprium consequitur differentiam, quoniam retrò commeat cum specie, & necessariò prædicatur.

#### *Caput quintum.*

**P**roprium quatuor modis usurpatur. primum proprium est, quod conuenit soli alii cui speciei, non tamen omni indiuiduo eius speciei, vt esse grammaticum. Secundo quod conuenit omni indiuiduo alicuius speciei non soli speciei, vt bipedem esse. Tertio quod soli alicui speciei conuenit, atque etiam omni eius indiuiduo, non tamen semper, sed prescripto tempore, vt canescere in senectute.

te. Quarto, quod cōuenit omni & soli, & semper, vt aptum ad ridendum. hoc vero maxime proprium est, & conuertitur cum specie, cuius est proprium. Postremum definit Aristotel. i. top. quod non indicat quid est esse, soli autem inest, & conuersim prædicatur.

## Caput. 6. de accidenti.

**A**ccidenstrifariam definit Porphyri⁹. pri-  
mum hoc modo quod potest adesse, & ab  
esse sine subiecti interitu. vt candor in pa-  
riete. Secundo, quod potest inesse, & non in-  
esse. Postremo quod neque est genus neque  
species, neque differentia, neque propriū sem-  
per autem est in subiecto. est autem, inquit  
Porphyrius, duplex accidens. vnum separa-  
bile, alterum inseparabile. separabile quod co-  
gitatione atque re ipsa separari potest à subie-  
cto. vt sedere calidum esse aut frigidum. inse-  
parabile est, quod tametsi cogitatione possit  
diuelli à subiecto: re ipsa non potest: vt cādōr  
à cygno, nigror à coruo.

Ea omnia quæ ad explanationem hui⁹ sen-  
tentiae pertinent facile qui volet leget in cō-  
mētario nostro in quinque voces Porphyrij.

Communia verò quinque vocum explana-  
ri præsenti loco necessarium non est, adeat  
cōmentarios nostros qui velit ea intelligere.

Summa dialecticæ  
Summa categoriarum Arist.

Categoriarū unus liber est apud Aristot. atque h̄c ipsa tractatio continens est, vulgo autem in tres partes distribuitur, quarum primam ante predicamentum vocant. Secundam prædicamentum. Tertiam post prædicamentum. In prima parte Aristot. explanat quasdam voces obscuras, quibus in categorijs uti debuit. Sunt illę æquiuocum, uniuocum, denominatiuum, complexum, incōplexum, dici de subiecto, esse in subiecto. ne obscuritas istarum vocum impediret cognitionem categoriarum. in categorijs explicat series atque ordines vocum, & docet quæ sub quibus collocentur, atque existant. in tercia parte explanat quasdam alias voces, quibus usus fuerat in categorijs non tam obscuras, quam priores. Priores enim propriæ sunt philosophorum, aut dialecticorum, posteriores vulgi sunt, & publicæ quidem. sed de hac re copiosus est à nobis disputatum in nostro commentario in Aristotele. categorias & redita ratio cur Aristoteles explaneth has voces & primo loco.

Caput Primum:

A Equi-

**A** Equiuoca dicuntur, quorum nomen onic  
munc est, & ratio subtantiæ secundam il-  
lad nomen diuersa, vt animal viuens &  
pictum. qua ratione significantur hoc nomi-  
ne animal. Vniuocæ sunt, quorum est idem  
nomen, atq; etiam eadem ratios secundum il-  
lad nomen, vt homo atque brutum, secundū  
istud nomen animal.

Denominatiua sunt quæ ab alio secundū  
nomen habent appellationem, à quo sola desi-  
nentia differunt, vt iustus, fortis, à iustitia &  
fortitudine.

### Secundum caput.

**V** Ocum quædā incōplexæ sunt atq; simpli-  
ces, vt homo animal, aliæ complexæ aut  
coniunctæ, vt homo currit, homo vincit.  
Secunda diuisio, rerū quædā sunt quæ dicūtur  
de subiecto, & nō sunt in subiecto, vt vniuer-  
sales substatiæ, homo animal. aliæ sunt in sub-  
iecto, & non dicuntur de subiecto ut indiui-  
dua accidentia: hic cādor: hēc grammatica.  
alia dicūtur de subiecto, & sunt in subiecto,  
vt vniuersalia accidētia, cādor, color. alia de-  
niquè neq; in subiecto sunt neq; de subiecto  
dicūtur, vt indiuiduæ substatiæ Socrates, Pla-  
to. definit autē Arist. id quod est in subiecto  
hoc modo, in subiecto illuddico, qđ est in alio  
et non

## Summa dialecticæ

& non sicut pars, neque potest esse sine eo in quo est: cur adducat Arist. modo has diuisiones, rationem reddidimus in nostris comment. categoriarum.

### Caput tertium.

**I**N presenti capite duo tradit axiomata aut communes sententias, prima est.

Quādo alterum de altero dicitur, ut de subiecto, hoc est nomine & definitione, quicquid de prædicato dicitur, necesse est dici de subiecto. nam quoniam animal dicitur de homine ut de subiecto, nam nomen & ratio anima lis de homine prædicatur viuens quod de animali dicitur de homine etiam dicitur.

Secundum axioma, diuersorum generum quorum vnum non continentur sub altero, diuersæ sunt specie, differentiæ, hoc est essentia les differentiæ. nam quoniam animal & sciëtia huiusmodi sunt, substantiales differentias diuersas habent.

### Argumentum. Cap. 4.

**I**N hoc cap. enumerat Arist. decem categorias, quæ sunt subiectum huius libri, cum de eisdem affectiones monstrantur. Postremo docet se de categorijs disputare, ut voces simplices sunt, nō autem ut efficiunt affirmationem & negationem.

### Caput

## Caput quartum.

**E**orum quę in complexa sunt singulū aut significat substantiam, vt homo, animal, aut quantitatem vt bicubitum, tricubitū, aut qualitatem vt candor, grammatica. aut ad alterum vt duplum dimidium. aut agere vt secare, vtere. aut pati vt secari, vri. aut vbi in loco, in lycæo. aut quando, vt superiori anno. aut sitū esse vt accubare, stare, sedere: aut habere, vt calceatum esse armatū esse. quod autem hæc incomplexa sint, qua ratione de eisdem in præsentia disputatur, ita demonstrat, omnis affirmatio vel negatio significat verum vel falso, hæc non significat verum vel falso quia non significant esse vel non esse: ergo per se non faciunt affirmationē vel negationem.

## De substantia.

**Q**uoniam substantia cetera omnia natūra antecedit principem locum illi concedit Aristotel.

## Caput quintum de substantia.

**I**n primis enumerat Arist. substantias, dicens, aliam esse primam substantiā, aliā secundam. secundam substantiam vniuersalē substantiam vocat: primam verò substantiā individuam. prima substantia est quæ neque est

Summa dialecticæ

est in subiecto. cum accidens nō sit cuius proprium est esse in subiecto, neq; de subiecto dicitur, quia non est vniuersalis. vt quidam homo, quidam equus hoc est Socrates aut Plato.

Secundæ substantiæ sunt genera & species primarum substantiarum. vt homo animal. quod indiuidua substantijs, prima substantia sit ita demonstrat Aristot. quod primo subiectur secundis substantijs & id in quo reliqua sunt, iure optimo prima substantia est: indiuiduae verò substantiæ huiusmodi sunt, ergo sunt primæ substantiæ. maior manifesta est, minor probatur, nam secundæ substantiæ, hoc est genera atque species substantiæ de indiuiduis prædicantur nomine, & ratione, vt homo de Socrate & Platone: accidentia vero tametsi de indiuiduis substantijs non possint nomine & definitione prædicari, sed, vel nomine tantū, vt cādidum de cygno, atrū de A Ethio p̄evel neque nomine neque definitione, vt candor & color, in sunt tamen in illis. quare indiuiduae substantiæ merito dicuntur primæ substantiæ.

Probat deinde genera & species prædicamenti substantiæ esse secundas substantias. id est substantias esse post substantias indiuiduas. vt hoc demonstrat accipit duos. viiiii est

est quod inter genera atque species substantiae, species sunt magis substantiae quam genera: hoc probat primum ab adiunctis quoniam species substantiae proprius accedunt ad primas substantias quam genera. nam interrogatus quid Socrates sit, verbi gratia potius respondebit hominem esse quam animal, secundo a simili. sicut enim individua substantia maxime substantia est, quoniam omnibus substata, ita quoque species potius substantia dicetur quam genus: quoniam pluribus substata quam genus. nam substata omnibus quibus genus & praeterea ipsi generi. sunt ergo species substantiae magis substantiae quam genera.

Alterum est, quod inter species substantiae nulla est magis substantia, quam altera. nam tam apposite respondetur interroganti de individuo, per unam speciem, sicut per alteram. deinde non pluribus una substata quam altera namque in accidentibus substata. atque etiam generi. sunt igitur species substantiae aequaliter substantiae.

Neque solum hoc verum est, sed illud etiam est verum inter individuas substantias non esse unam magis substantiam aliam: quoniam aequalibus substantiis nempe omnibus his explicantis docet Arist. genera atque species substantia-

Summæ dialecticæ.

Statiarū esse secundas substatiās duobus argumētis. primū, genera, & species substantię explicant quid sit prima substantia, accidentia vero hoc non faciunt: merito ergo genera atque species substantię sunt secundae substantię, post primam. Deinde sicut individuę substantię dicuntur primę substantię quoniam ceteris omnibus subjiciuntur, ita genera atque species substantię erunt secundae substantię, quoniam subjiciuntur omnibus accidentibus.

Deinde communia substantię explicat: in primis verò ait, commune esse omni substantię non esse in subiecto. ne quispiam putaret genera & species substatiæ esse in primis, vel in subiecto, quod primę substantiæ in subiecto nō sint ex definitione constat primæ substantiæ, nam illa neque in subiecto est neque de subiecto dicitur. Secundas verò substatiās non esse in subiecto, demonstrat hoc pacto, quæ dicuntur nomine & ratione de prima substantia non sunt in subiecto, ut ostensum est iam. secundae substantię nominé & ratione de primis dicuntur. nam nomen homo, atq; etiam hominis finitio, animal rationale, de Socrate dicuntur: non sunt ergo secundæ substantię, in primis tanquam in subiecto . hoc vero

verò, inquit, non est proprium substatiæ: nā conuenit etiam differentijs substantiæ. illæ enim substantiæ non sunt cum non sint perfectæ atque absolutæ de quibus in præsentia disputatur: dicuntur tamen nomine atque ratione de primis substantijs.

Diluit deinde obiectionem. dicet quispiam partes substantiæ in substantia sunt, tanquā in subiecto, & tamen sunt substantiæ, ergo nō conuenit omni substantiæ subiecto non esse. Arist. partes substantiæ admittit esse substantias: negat tamen esse in substantia, ut in subiecto: nam sunt in prima substantia, ut eius partes: non sunt ergo in subiecto. nam in subiecto esse, est in alio esse, non sicut partem.

Secunda proprietas substantiæ est. secundæ substantiæ atque earum differentiæ dicuntur vniuocè de primis. probat à definitione vniuocorum hoc modo, ea quorum nomen commune est & ratio eadem vniuoce prædicantur, huiusmodi sunt secundæ substantiæ & earum differentiæ: ergo dicuntur vniuoce de de primis substantijs.

Tertia proprietas, substantia significat hoc aliquid, id est vnum numero. hoc aperte constat in primis substantijs. Significant enim vnum numero, & singulare, ut Socrates Pla-

Dd to.

Summa dialecticæ

to. secundæ etiam substantiæ cum proferuntur, videntur hoc aliquid significare, non significant tanten hoc aliquid, sed quale quid, hoc est qualitatem essentialem. non quemad medium albū, quod qualitatem significat accidentariam rei in qua candor in est. quarta proprietas. substantiæ nihil est contrarium. hoc inductione constat: nam neque homini qui est secunda substantia, neque cuidam homini, qui est prima substantia est aliquid contrarium, hoc etiam conuenit quantitati. nam bicubito & tricubito nihil est contrarium.

Quinta proprietas. substantia non dicitur magis neque minus. inductione hoc constat & ratione, quoniam ea quibus non est contrarium non dicuntur magis neque minus. substantiæ contrarium non est, ut ostendimus ergo neque dicitur magis neque minus. Si verò species substantiæ magis substantiæ dicuntur, quam genera, hoc non erit qua ratione substantiæ sunt, hoc est secundum essentiam, sed quæ sunt subiecta, quasi dicas species substantiæ plurium subiectum quam genus substantiæ. hoc etiam non est proprium substantiæ, nam conuenit etiam quantitati.

Sexta proprietas. maxime proprium est substantiæ ut cum una & eadem numero

ro sit possit suscipere contraria: hoc conuenit omni & soli substantię, ut inductione monstrari facile potest. quare hac nota distinguitur substantia à ceteris generibus. postremo Aristoteles obiectionem proponit, ea est oratio & opinio non sunt substantię. suscipiunt tamen contraria, cum eadem oratio, nempe Socrates sedet, vera sit eo sedente, & si non sedeat, falsa. eadem etiam opinio, ergo hoc non est maximè proprium substantiæ. diluit obiectionem Aristoteles bifariam, prium concedit orationem & opinionem eadem numero suscipere contraria, at non suscipiunt illa more substantiæ, nam substantia cum suscipit contraria ipsa permutatur, oratio verò & opinio cum ex vera falsa sit non permutatur ipsa, sed res. nam ab eo quod res est vel non est oratio dicitur vera vel falsa. Secundo respondet Aristoteles negando orationem vel opinionem contraria suscipere: nam quod suscipit contraria, cum unum abicit, & aliud recipit, permutatur, hoc non contingit in oratione aut opinione. nam ipsa oratio non mutatur, sed res, quare neque suscipit contraria, est ergo maximè proprium substantiæ, quod cum sit una & eadem numero sui mutatione possit contraria suscipere.

Summa dialecticæ

De quantitate.

**P**roximo capite mentionem fecit Arist. quantitatis, dicens, non habere contrariū, neque dici magis aut minus, conuenire etiam quantitati. vt ergo locum illum intelligimus exacti<sup>o</sup>, proxime post substantiā Arist. quantitatē explanat.

Caput sextum de quantitate.

**Q**uantitas alia coniuncta est, aut continua: alia disiuncta seu discreta. cōtinua est cuius partes coniunguntur aliquo cōmuni termino. cuius quinque sunt species: linea. superficies, corpus, tempus, locus. nam partes lineæ puncto iunguntur partes superficie, linea. partes corporis superficie. partes temporis momento aut instanti, partes denique loci, superficie copulantur quemadmodum corporis partes. discretæ quātitatis duæ species sunt. numerus. inquam, & oratio, est quidem numerus quantitas quoniam mensura est rerum numeratarū. discreta verò, quoniam eius partes nullo communi vinculo copulantur, quod sit principium vnius & finis alterius: vt partes denarij, quinque & quinque aut septem & tria, oratio etiam quantitas est, quoniam mensuratur syllaba breui & longa, discreta tamen. quoniam eius partes nullo

nullo communi vinculo coniunguntur, nem  
pe syllabę sed omnino disiunctę sunt atque  
discrete. adducit deinde secundam diuisionē  
ea sic habet, quantitas alia constat partibus  
quæ positionem habent alia cōstat partibus  
quæ non habent positionem, prioris generis  
sunt linea, superficies, corpus, locus. nam par-  
tes omnium istorum alicubi sunt sitæ, & con-  
iunctæ sunt inter se aliquo communi termi-  
no: & permanēt. posterioris verò generis sunt  
numerus, oratio, tempus, numeri enim & ora-  
tionis partes non sunt coniunctæ aliquo com-  
muni termino, neque partes orationis simul  
manent, nam simul emissum volat irrecuca-  
bile verbum. partes etiam temporis nō simul  
manent. quanquam autem horum partes si-  
tum non seruent, quendam ordinem seruat,  
numerus & tempus naturalem: nam prius est  
secundum naturam binarius numerus, quam  
ternarius. & præsens tempus quam exactum  
aut futurum, partes orationis ordinē seruant  
quem nos illis cōcedimus. hęc autem omnia  
inquit Arist. proprie & per se quanta sunt,  
catera verò quāta sunt ex accidēti ut actio  
longa aut brevis, quoniam longo tēpore aut  
breui fit, album etiam magnum aut paruum  
dicitur quoniam existit in magna aut exi-

gua superficie. explicat deinde tres proprietates quantitatis, vna est, quantitati nihil est contrarium, rem probat inductione, bicubito enim aut tricubito nihil est contrarium.

Obijciet aliquis magnum & paruum, multum & paucum quantitates sunt & tamen vnum est alteri contrarium, ut appareat. objectionem Arist. bifariam soluit, primum negat esse cōtraria, sunt enim relata. quod duobus probat argumentis, primuni quia quæ dicuntur cum cōparatione ad ea quæ sunt eiusdem generis relata quidem sunt, huiusmodi sunt hæc ipsa, sunt igitur relata, mons enim magnus dicitur cōparatione minoris: & pauci homines dicuntur esse in rite comparatione eorum qui sunt in ampliori rite. deinde quæ quanta sunt significant quātitatem, hec non significant quantitatem sed habitudinem non sunt ergo quantitates sed relata.

Secundo soluit dubitationem, concedendo quantitates esse. non sunt tamen contraria: quia contraria non comparantur inter se. nam virtus non dicitur ad vitium, neque iustitia ad iniustitiam, hec verò inter se dicuntur, magnum enim ad paruum dicitur, & multum ad paucum. Si verò contraria essent, duo contraria simul essent, in eadem re.

nam

nam idem mons magnus & parvus dicitur.  
quare non sunt contraria.

Adducit deinde aliam obiectionem: sursum & deorsum quantitates sunt, quoniam sunt loci: locus autem est quantitas, at qui sursum & deorsum contraria sunt, nam sub eodem genere posita plurimum inter se distat. Aristoteles non omnino soluit dubitationē, innuere tamen videtur hęc non esse quanta, sed relata, quoniam referuntur ad mediū: sursum inquam & deorsum.

Secunda proprietas, quantitas non suscipit magis aut minus: rem illustrat exemplis. nam bicubitum unum altero magis, minus ve bicubitum non dicitur, atque in cæteris similimodo.

Tertia proprietas, qua distinguitur quantitas à cæteris categorijs hęc est, maximè proprium est quantitatis ut per eam res dicātur aquales vel inæquales. hoc enim & omni & soli inest quantitati, ut exemplis constare facile poterit.

### Caput septimum.

**D**isputat Aristotel. post quantitatē de relatis ut perfecte intelligatur, quod in sermone de quātitate dictum est, magnū inquam & parvū, multum & paucū non esse

Dd 4      quanti-

Summa dialecticæ.

quantitates sed relata, & quoniam ab antiquis philosophis falso definita sunt relata, confutat finitionem, deducendo eius autores ad absurdum. veram deinde finitionem relatorum tradit.

Caput septimum de relatis.

**A**d aliquid ea dicuntur quæ hoc ipsum quod sunt aliorum esse dicuntur, vel quo cunque modo dicuntur ad aliud. rem exemplis demonstrat. maius enim hoc ipsum quod est ad aliud dicitur, nempe ad minus, & duplum, ad dimidium. neque hec solum dicuntur ad aliquid, sed etiam habitus, dispositio, scientia, sensus, & positio magnum quoque ad alterum dicitur, nempe ad paruum, & simile, dissimile, æquale, inæquale, preterea etiam accubitus, & statio, & sessio. nam positio quodammodo ad aliud dicitur; accubitus statio, & sessio, positiones sunt, ergo ad aliud dicuntur. accubare autem & stare & sedere, quæ ab accubitu, statione & sessione denominatiue dicuntur, non sunt quidem ad aliquid sed potius pertinent ad situs categoriam.

Explicat statim duas falsas proprietas relatorum, quæ consequuntur superiorem definitionem, ut finitionem propositam falsam esse

esse demost. et, Prima est, relatis aliquid est  
cōtrariū, vt virtuti vitiū, scientiæ ignoratiā.

Secunda relata dicuntur magis & minus.  
simile enim & dissimile . equale & inequale  
magis atque minus dicuntur.

Deinde explicat duas alias perfectas pro-  
prietates quæ conueniunt quidem illis quæ  
vera relata sunt. prima est, relata dicūtur ad  
conuertentiā, hoc est, mutuo referuntur, aut  
reciproce dicuntur. nam pater est filij pa-  
ter, & filius est patris filius, atq; in cæteris si-  
mili modo. Admonet tamen Arist. duo. vnū  
est quòd relata interdum ad eundem casum  
referuntur, vt duplum dimidium, quædā ad  
diuersum, vt sciētia, scibile, sensus, sensibile.

Secūdo admonet, quòd interdū relata nō  
vidētur mutuò referri. huius tamen rei ratio  
est, quòd non recte vni relato assignatū sit a-  
liud ad quod dicitur : sed tunc non peccat ip-  
sa relata, sed qui prae fecit assignationē vt  
sic capiti relatū assignem⁹ animal, aut ale auē.  
Danda est ergo opera diligēter, inquit Aris.  
vt recte fiat assignatio, hoc vt efficiamus in  
spiciemus vtrū positū nomen sit illi ad quod  
refertur, si sit positū ad illud referemus, si po-  
situm nō sit, fingem⁹ alterū, vt recte hoc effi-  
gamus deducemus illud ex eo quod iā positū

Summa dialecticæ

est ut ex capite capitatu: exala alatum : vbi  
vero effinxerimus, explorabimus recte ne, an  
secus facta sit assignatio, erit recte facta si de  
tractis omnibus alijs quæ accidentunt ipsi rela-  
to, dicantur nihilominus ad conuertentia. si  
verò hoc non contingat assignatio relatorū  
peruersè facta est. neque oportet vt tunc mu-  
tuo dicantur relata.

Secunda proprietas relatorum est esse si-  
mul natura: hęc ex priori ortum habet. nam  
quę reciprocę dicūtur simul natura sunt, hoc  
est vno posito ponitur alterū: vno sublato, al-  
terū aufertur. vt pater filius , duplū dimidiū.  
**A**dducit tamen quandā obiectionē Arist.  
cōtra hanc sententiā, quā idē quoq; diluit : ea  
est scientia & scibile, sensus & sensibile rela-  
ta sunt, vt diximus, sed nō sunt simul natura;  
ergo nō cōuenit hęc proprietas omnibus re-  
latis, minore propositionē probat Arist. Sēsi-  
bile. n. atq; scibile prius natura sunt quā sen-  
sus atq; sciētia: hoc pbat dupli argumēto,  
vnū est, sublato scibili aufertur sciētia, & sub-  
lato sensibili sensus aufertur, cōtra vero non  
cōtingit, nā scibile esse potest, cuius scientia  
nulla sit: quadratura enim circuli scibilis est,  
inquit Arist. eius tamē sciētia nō dū est inuē-  
ta, ergo res quæ sciuntur & sentiūtur priores  
sunt

sunt quām ipsarum sensus atq; scientia.

Secundum argumentum est, sublato animali adimitur sensus atque scientia. quia hæc sunt in animali. non tamen auferuntur scibile & sensibile: manent enim ea ex quibus animal erat constitutum. ergo scibile & sensibile prius sunt quām sensus, atq; scientia. quare non sunt simul natura. hec vbi dixit, ut falsam esse conuincat superiorem relatorum definitionem, deducit autores eius definitionis ad illud absurdum, ut fateantur velint nolint, substantias quoq; illa definitione comprehendti. vnde sequitur substantias relata esse, at etiam esse accidentia. verum cum sint quatuor genera substantiarum, quedā enim sunt integræ & vniuersæ: aliæ integræ, sed individualiæ. aliæ partes vniuersæ, vt manus, aliæ partes individualiæ, vt hæc manus, admet licet integræ substantiæ non dicantur aliorum, nam homo non dicitur alicuius homo, neque similiter quidam homo alicuius dicitur homo, neque partes singulæ dicuntur aliorum. hæc enim manus non est alicuius hæc manus, nulla ratione vitare possumus, quin pars substantiæ vniuersa ad alterum dicatur. Nam manus alicuius manus dicitur & caput alicuius caput, quod si satis est di-

## Summa dialecticæ

ci ad aliud ut relatum quipiam sit erit substā  
tia relatum, quod ferendum non est, ergo ne-  
que superior finitio relatorum: corrigenda  
ergo illa hoc pacto est, relata dicuntur quorū  
omnis vis atque natura est ad aliud quodam  
modo se habere, hæc vero finitio angustior  
est, & pauciora complectitur quam definitio  
superior, nam illa relata per se atque ex acci-  
denti complectebatur, hæc verò solum com-  
pletebitur relata per se.

Hinc colligit Arist. *consecutarium*. si quis  
definitè & certo nouerit vnum relatorum de  
finite cognoscet alterum. rem illustrat Arist  
*exemplum* relatorum, nemo enim ait, definitè  
cognoscet patrem qui non norit etiam defi-  
nitè filium cuius is pater est: atque in cæteris  
simili modo. vnde plane consequitur, partes  
substantiæ relata non esse, cum fieri optimè  
possit ut quis partes ipsas cognoscat, vt ma-  
num caput & cæteras partes, tametsi ignoret  
cuius illæ partes sint, superior igitur finitio re-  
latorum falsa est, hæc vera.

## Caput octauum.

**Q**uoniam qualitatis mentionem fecit Ari-  
sto. proximo capite, eam explicat iam  
& quia parum refert qualene an qualita-  
tem

tem dicamus, de quali & qualitate caput inscribit, qualitatem autem explicat, quoniam à definitione qualitatis non strat quatuor esse qualitatis species.

Caput octauum de qualitate.

**Q**ualitas est secundum quam quales quidam dicuntur: denominatiuē inquam ut iustitia, fortitudo, quibus iust⁹, & fortis denominatiuē dicūtur. Sunt autem quatuor species qualitatis habitus & dispositio naturalis potentia & impotentia. passio & passiva qualitas. figura & formæ.

Prima igitur species qualitatis est habitus & dispositio, distinguuntur hæc duo hoc nomine, quod habitus est permanentior atque diutinior. nam tenaciter heret subiecto, dispositio vero quoniam leuiter heret neque permanet neque est diurna. dispositio etiam latius patet quam habit⁹, si quidēde habitu prædicatur aliqua ratione.

Secunda species est, naturalis potentia aut impotentia ad agendum aut resistendum ut durum & molle. durum enim vocamus quod naturalem vim habet ad resistēdum, mole natualem vim habet ad cedendum tangenti, eodem pacto in ceteris contingit.

Ter

## Summa dialecticæ

Tertia species est passio & passiuæ qualitas  
vt colores, sapores, qualitates quæ pertinent  
ad tactū, vt calor frigus, humor, siccitas. istæ  
enim qualitates dicuntur, quoniam eisdem qua-  
litates denominantur, qui illas habent. passiuæ  
vero qualitates non ea causa vocantur, quod  
eisdem quidpiam patiatur, sed quoniam pas-  
sionem ingerunt sensibus. vel ab aliqua pas-  
sione oriuntur. vt sunt aut corporis passiuæ  
qualitates, ita etiam animæ vt amētia, ira. qui  
bus amentes aut irati vocamur.

Quarta species est forma & figura. forma  
est externa corporis facies, figura verò conta-  
ctus linearum. vt rectum, curvum, latum, angustum  
triangulum. his enim quales res dicuntur.

Rejecit statim Arist. quædam ab ista cate-  
goria, sunt illa rarum, densum, asperum, lene.  
hac enim ad situm referuntur. nam signifi-  
cant partium positionem. vt aperte constat.

Describit deinde qualia hoc modo: qualia  
sunt, quæ à qualitatibus dicuntur denomina-  
tiæ, vt candidus fortis à candore & fortitudi-  
ne vel dicuntur à qualitatibus quocunque a-  
lio modo. Sunt enim quædā qualitates, quibus  
nomina posita nō sunt à quib' qualia sumunt  
appellationem, potentijs enim. secundum quas pu-  
gillatores & cursores dicuntur, nomen non  
est

est positum, alijsque id genus.

His explanatis tradit Aristo. tres proprietates qualitatis: vna est qualitati inest contrarium. vt virtutis vitium, sciētię ignorātia: hoc non inest omnibus. nam neque secundæ, nequè quartæ speciei contrarium ullum inest: illud tamen admonet, quod si est vnu contra rium qualitas, aliud quoquè necesse est esse qualitatē. nam contraria sunt sub eodem genere: quod inductione demonstrat.

Alterā proprietas ex prima ortum habet: ea est, qualitas suscipit magis & minus: non ipsa quidem per se, nam vnu candor non dicitur magis minus ve qualitas aut cādor quā ali⁹, sed ratione subiecti. illud enim est quod magis aut minus dicitur candidum. nanquè vnum alio magis aut minus candidum vocamus. illud tamen Aristoteles admonet quòd quæ non suscipiunt finitionem eandem, non cōparantur secundum magis aut minus. triāgulum enim nō dicitur ni magis circulus quam quadrangulū: quoniam neq; triangulū neq; quadrangulum circuli suscipit finitionē. hoc non inest omni qualitati, namq; non habet contrarium neq; magis nequè minus dicitur

Tertia proprietas qua agnoscitur qualitas & distinguitur à reliquis categorijs est, qualii-

Summa dialecticæ

qualitas est secundum quam res dicuntur similes vel dissimiles. in est hoc omni qualitati, atque etiam soli. hec ex superiori ortum habet, nam intensio & remissio fiunt qualitatis participatione, per quam res similes aut dissimiles dicuntur.

Diluit deinde obiectionem: posset quispiā dicere, contra rationem facere Aristotel. qui scientiam qualitatem apellet, cum eiusdem opinione, connumerata sit scientia inter relata. Respondet bifariam, primum ait scientiā, ut genus relatum esse, eiusvero species atque individua esse qualitates. Huiusmodi est grammatica & rhetorica. nam his ipsis quales diciuntur, non genere. hoc probat, quoniam illis denominamur, quæ habemus: at qui individua atque species scientiarum habemus, his ergo denominamur, atque eodem sunt qualitates. deinde respōdet nihil prohibere idem in diuersis existere categorijs, diuersa tamen ratione, scientia ergo qualitas est, si ad animal in quo existit referatur. relatum verò si referatur ad scibile. diuersa igitur ratione in diuersis existit categorijs.

Argumentum.

**D**efex reliquias categorijs aut nihil aut parū scribit Aristoteles. ratio est quoniā quæ de

de illis dialeꝝtici possunt agnoscere , facilia quidem intellectu sunt,& ea sunt dicta in enumeratione categoriarum. exacte verò de eisdem differere dialeꝝtici non est,sed philo sophi potius.de actione verò & passione pauca quædam differit. Sunt autem hęc duo,diverſia:cum aliquid agat quod pati non possit ut Deus,aliquid etiam patiatur quod nequit agere ,ut prima materia.actionis & passionis motus,genus non est,tum quia motus omnis fit in tempore,non tamen omnis actio. nam intelligere subito fit,tum etiā quia quæ mouentur omnia corporata sunt , pleraque verò agunt ,quę sunt omnino corporis expertia.

Inscribitur hoc caput de agere & pati,non de actione & passione neque de agenti & patienti,nam agens dicit subiectum cui actio coniuncta est neque existit in vlla categoria hoc nomine . est enim vnum ex accidenti. actio verò & passio quoniam s̄ape numero opus significant,quod est categoriæ qualitatis,vel alterius cuiuspiam.actio enim arboris aliquando fructus arboris vocatur,& passio dicitur pallor qui expansione relinquitur in nobis.agere verò est formam introducere. pati,formam recipere : & hoc nomine duꝝ

Ee ista

Summa dialecticæ.

istæ categorię inter se distinguntur: atque à ceteris categorijs differunt. actionis & passio-  
nis due sunt species: alia est enim actio per-  
manens, quæ in agente manet, ut intelligere  
alia transiens, quæ non manet in agente, ut  
calefacere, patitur etiam aliquid bifariam,  
dum corrumpitur, ut lignum, cum vritur: &  
dum perficitur ut sensus sentiendo.

Vbi est esse in loco, non locus ipse: alioqui  
quantitas esset: neque comparatio rei ad lo-  
cum: nam hęc est relatio. huius sunt sex diffe-  
rentiæ esse sursum, deorsum, ante, retro, dex-  
trum, sinistrum. Quando, est esse in tempore.  
cuius tres sunt differentiæ, quemadmodum  
temporis.

Situs est collocatio partium corporis, cu-  
ius tres sunt formæ accubare, stare, sedere.

Habere vel ad corpus refertur totum, vel  
ad eius partes.

Liber  
F I N I S.

# LIBER DE INTER PRETATIONE.

Vniuersi libri argumentum.



Ristoteli propositum est explicare enuntiationem, quæ ex vocibus simplicibus constat: de quibus in categorijs disputatur est: & cuius cognitio magnam vim habet ad comparandam notitiam syllogisini, de quo in libris resolutorijs disputatur. atque hæc causa est cur hic liber de interpretatione dicatur. nam enuntiatio est animi interpretis. hæc vero quoniam subiecto constat & prædicato tanquam partibus, nomen autem & verbū subiecta & prædicata sunt, de utroque differit Arist. & quoniam nomen & verbum significare, inquit Arist. neque in eis verum aut falsum existit, primum omniū quid voces significant: & in quibus vocibus existat verum & falsum coniungi oratione explanat. explicatis partibus ad enuntiationē transfert orationem, quæ quoniam oratio est in qua existit verum vel falsum, orationem prius explanat, quæ est veluti ge-

Ec 2 nus,

## Summa dialecticæ

nus, ut enuntiationem accipiat. Deinde vero ut monstret in esse verum atque falsum in enuntiatione, de contradictione differit, aut repugnancia que vero & falso constat, refert formas repugnantiarum. leges quoque singularium formarum tradit. & quoniam enuntiations sicut tempora diuiduntur, comparat pugnantiam enuntiationum habita ratione temporis: atque docet, non similiter verum & falso in omni genere harum enuntiationum reperiri. nam contradictionis de praeterito & de praesenti, una pars iam vera est, altera iam falsa: contradictionis vero de futuro non necesse est unam partem veram esse definite alteram falsam: sed utruius potest, interdum vera esse aut falsa. ut tamen absolucret omnem repugnanciam rationem, statim omnem formam enuntiationis persequitur: siue illa simplex sit, cuius duæ sunt partes, alia enim constat verbo, est secundo adiacente, alia est tertio adiacente: siue illa modificata sit. numerat ergo omnes repugnacias que fieri possunt quocunque modo conficiatur enuntiatione. explicata vero repugnancia consequentia aut equipollentiâ secundum verum atque falsum docet: ut disputatio omnibus numeris absoluta habeatur. postremo questione tractat  
atque

atque exercet, quæ magis enuntiatio opposita affirmationi sit, quæ negat, an cuius attributum, seu prædicatum infinitum est.

### Caput primum.

**P**RIMUM oportet constituere, hoc est definire, quid nomen quid verbum sit quid affirmatio quid negatio, deinde quid enuntiatio, quid oratio.

Ea igitur quæ sunt in voce explicant quæ sunt in animo. & quæ scribuntur ea quæ sunt in voce. voces autem atque literæ ex instituto significant: quia non significant idē apud omnes, passiones vero animi seu conceptus, quibus explicandis primum omnium voces seruiunt, natura significant: quoniam idem significant apud omnes. res etiam quibus similes sunt passiones aut conceptiones animi, natura significant, cum significant sicut conceptus, idem apud omnes.

Deinde probat nomina & verba sumpta per se, neque verum neque falsum significare atque hoc dupli argumento. unum sumitur à simili, & ita colligitur, simplices notiones neque veræ, neque falsæ sunt, si non addatur esse vel non esse, ergo neque nomina aut verba. Sunt enim nomina & verba similia

sim.

Summa dialecticæ  
simplici conceptui animi.

Secundum argumentum est à maiori, hoc  
paēto, nomina composita ut hircoceruuſ nō  
significant verum neque falsum, niſi adda-  
mus eſſe vel non eſſe, simpliciter vel secun-  
dūm tempus: ergo neque vlla alia nomina  
aut verba. nam ſolum in compositione aut  
diuisione verum vel falsum inēſt.

Argumentum.

**N**omen prius explicat quām verbū quo-  
niam eſt verbo cōmuniuſ. ipſa enim ver-  
ba diſta per ſe nomina ſunt. ciꝝ diſcriptio  
ſic habet.

Caput secundum de nomine.

**N**omen eſt vox significans poſitione ſine  
tempore, cuius nulla pars separatim ſig-  
nificat: explanat tamē Arist. quasdam par-  
tes huius deſcriptionis: primum quidē nomen  
diſſert à vocibus nihil ſignificantibus, qua-  
les ſunt blytiri, ſcindapsus, quoniam nomen  
eſt vox significans, ſed quia poſitione ſignifi-  
cat, à brutorum vocibus diſſert, quæ natura ſi-  
gnificant. quod autem nomen non ſignificet  
natura, probat Aristotel. quoniam mugitus  
boum & reliqui ſoni illiterati, ob eam maxi-  
me cauſam nomina non ſunt quod natura ſi-  
gnificet nō poſitione. Nomen igitur poſitio-

ne significat, quia non significat cum tempore. Differit nomen à verbo quod significat cù tempore, quoniam eius nulla pars separatim significat. distinguitur nomen ab oratione, quia orationis partes separatim significant: partes vero nominis nihil significant separatim: quod argumento à maiori demonstrat, siquidem partes compositi nominis nihil significant separatae à nomine. differit nomen cù iunctum à simplici, quod simplicis nominis partes, neq; quidpiam significat, neque quidpiam videntur significare, partes coniuncti nominis, licet nihil separatim significant, aliiquid tamen videntur significare.

Admonet tamen Arist. esse quasdam voces, quibus conuenit nominis finitio, nō sunt tamen nomina, sed infinita nomina, huiusmodi est non homo. ratio est, quoniā nomen rē significat definitam: nomen vero infinitum, infinitam: nam tam est in eo quod est, quam in eo quod non est.

Casus etiam nominum nomina simpliciter non sunt, quoniam iuncta verbo, est, fuit erit, non efficiunt enunciationem, quod est nominum peculiare. nisi aliquid aliud addamus, vt Gasparis est commentarius.

### Argumentum.

Ec. 4

Con-

Summa dialecticæ

**C**onsequitur statim verbum, cuius vim & naturam explanat finitione Arist. atque illud distinguit à ceteris hoc pacto.

Caput tertium de verbo.

**V**erbum est, quod significat cum tempore, cuius nulla pars significat separata, & est semper nota eorum quæ de altero prædicantur, explanat quasdam voces & rationē reddit cur easdem in hac definitione collo- carit. in primis quoniam eius nulla pars sepa ratim significat, differt ab oratione, cui⁹ pars aliqua significat separata. significat etiā cum tempore verbum, hoc est cum aliqua tempo ris differentia, presentis, præteriti, vel futuri quæ ratione à nomine differt. Est autem verbum semper nota eorum quæ de altero prædicantur, quoniam actionem vel passionem significat, que de substantia dicuntur, & quæ verba significant modo in subiecto sunt, modo de subiecto dicuntur, hoc est nomine & ratione prædicantur.

Sunt autem verba infinita, verba, quoniā consignificant tempus, & significant ea quæ de alio prædicantur. infinita tamen vocātur, quoniam tā m significant id quod est, quām quod non est. obliqui autem verborū ut præteritum & futurum, quamquam enunciatio-

nem efficiant iuncti nominibus, simpliciter  
verba non sunt, sed casui verborum.

Tandem demonstrat Arist. verba sumpta  
per se nomina esse, à verbi finitione sumpto  
argumento, neque enim coniungunt prædi-  
catum cum subiecto. Hoc confirmat à maio-  
ri sumpto argumento: si enim verbum tub-  
stantium, est, quod generalissimum est, quo  
niam in illud cætera resoluuntur, per se sum-  
ptum non declarat prædicatum subiecto in  
esse: solum enim significat quandam compo-  
sitionem, quam non possumus sine extremis  
intelligere, multo minus reliqua verba si per  
se sumantur, hoc efficient.

### Argumentum.

**E**xplanatis partibus orationis, sunt illæ  
nomen atque verbum, definit Arist. ip-  
sam orationem hoc modo.

### Caput quartum de oratione & enuntiatione.

**O** Ratio est vox significans cuius aliquas  
pars significat separata. explicat finitio-  
nis aliquot partes. in primis inquit, orationis  
partem aliquam separatam significare. De-  
bet autem necessario significare pars separata,  
sicut dictio, hoc est, ut nomen aut verbum:  
non tamen necesse est, quod significet, sicut

Ec 5

affirma

## Summa dialecticæ

affirmatio vel negatio : tametsi hoc interdū  
contingat, Tunc maximē cum oratio hypo-  
thetica est, vt si sol lucet, dies est. hac parte fi-  
nitionis oratio differt à nomine atque ver-  
bo, quorū nulla pars significat separata, quo-  
niam vero posset quispiam obijcere nomi-  
nis partem separatam significare : nam rex  
aliquid significat, cum sit pars huius nominis  
sorēx, respondet Arist. q̄ rex ut pars est no-  
minis sorēx, nihil significat, vt dictio. est. n.  
syllaba tantū quod si hoc cōtingit in nomine  
composito, multo melius euēnet in simplici.

Deinde Arist. vt demonstret orationem si-  
gnificare ex instituto, soluit argumentū quo  
Plato per suadere nitebatur orationem signi-  
ficare natura. illud sic habet, omne instrumentum  
naturale, naturale est, & natura signifi-  
cat. Oratio instrumentum est facultatis na-  
turalis, ergo natura signifikat, concedit Aris.  
maiorem propositionem: minorem tamē ne-  
gat, non est enim oratio instrumentum facul-  
tatis loquendi, sed potius eius effectum. ora-  
tio igitur positione signifikat, non natura.

Vbi naturam orationis explicuit quæ ge-  
nus est enunciationis colligit Aris. finitionē  
enunciationis à dissimilitudine reliquarū ora-  
tionū, cum ait, cetera genera orationum quæ  
ad

ad oratores pertinent, aut poetas non significare verum neque falsum, sed declarare affectum animi. enuntiatio vero quae est modi indicantis verum significat aut falsum.

Hac, aut una est aut plures, enuntiatio una simplex, est, quae dicit aliquid de alio, ut affirmatio, homo est iustus. vel aliquid ab aliquo separat, ut negatio: homo non est equus. est etiam una enuntiatio ea in qua plura existunt, sed unum efficiuntur coniunctione ut, sic currit, mouetur. Enuntiatio plures est, in qua non unum de uno dicitur. haec bifariam efficitur: alia est quae multa colligit sine coniunctione: ut Socrates legit. Plato audit. Aristoteles Platonem habuit praceptor em. & cum ita profertur, enuntiatio plures actione vocatur. alia est plures potestate. ut cum multa de uno dicuntur: vel unum de multis: vel multa de multis. ut canis currit hoc animal est, canis est sanus. Posset quispiam putare simplicem enuntiationem non debere ostendare verbo, nam cum verbum iungat predicatum cum subiecto, iam ea enuntiatio non erit simplex, sed potius una coniunctione. respodet Arist. necessarium quidem esse ut in enuntiatione verbum existat. hoc probat a maiori sumpto argumento: si. n. definitio enuntiatio

non

## Summa dialecticæ

non est, quoniam verbo caret. multo minus reliquæ enuntiationes erunt, si verbum non adsit. ipsa vero definitio unum dicitur, non ut affirmatio aut negatio, sed alia ratiōe, quā explicare, inquit Aristote. alterius loci est, spectat enim ad primam philosophiam.

Altera obieccio est, nomina & verba perse sumpta unum significant, ergo sunt una enuntiatione. diluit obiectionem dicens, non esse enuntiationes, quoniam neque rogati neque non rogati quidpiam nomine & verbo enuntiamus, nisi aliud addamus. hoc probat, quoniam neque verum neque falsum significant. Deinde ut explicet repugnantiā, admonet Arist. quod omne quod quis affirmat vere, potest negari falso, & quod negatur verè falso affirmari. & ideo omni negationi opposita est affirmatio, & contra, hinc colligit finitio nem repugnantiæ, aut contradictionis, ea est oppositio affirmationis & negationis eiusdem subiecti, atque etiam prædicati nulla admis- sa voce ambigua, ad idem & secundum idem & consimiliter, & non mutato tempore quē- admodum in elenchis. elenches vero syllo- gismus contradictionis definitus est ab Ari- sto in elenchis.

Argumentum.

Fi-

**F**iniuit repugnantiam, cupit iam eius formas explicare : illæ variato subiecto atque etiam prædicato fiunt. quamobrē prædicata & subiecta enuntiationum colligit divisione.

**Caput quintum de subiectis  
& prædicatis.**

**D**Vplex subiectum est, vnum vniuersale, alterum singulare, vniuersale est quod natum est de pluribus prædicari, vt homo: singulare quod non est natum prædicari de pluribus, vt Callias, Socrates. hoc si verum est quedam erunt enuntiationes in quibus aliquid prædicatur de altero vniuersali, alię in quibus aliquid prædicatur de altero singulare. si vniuersale sit subiectum, triplex genus repugnantiarum sumitur, quedam enim enuntiationes contrarie sunt, alię subcontrarie, alię denique contradicentes. Cōtrarie enuntiationes sunt affirmatio & negatio oppositię, quarum subiectum est vniuersale affectū signo vniuerso. vt omnis homo est albus: nulus homo est alb⁹. subcōtrarie sunt quarū subiectū vniuersale est sine signo vniuerso vt homo alb⁹ est: homo albus non est: contradicentes sunt affirmatio & negatio, vna vniuersa, altera particularis, vt omnis homo est albus, qui-

## Summa dialecticæ

quidam homo non est albus. vel ambæ singu-  
lares ut Socrates disputat, Socrates non dis-  
putat. Ne tamen quispiā ambigeret, cui par-  
ti enuntiationis addendum sit signum vni-  
uersum, vt omnis, quod non est sane vniuer-  
sale sed vniuersaliter significat, præcipit Ari-  
sto. signum vniuersale addendum esse subie-  
cto, non prædicato. semper enim falsa est af-  
firmatio cuius prædicatum vniuersale est af-  
fectum signo vniuerso, ut Socrates est omnis  
homo, modo sit subiectum communc.

### Argumentum.

**E**xposuit formas repugnantiarū. iam do-  
cet regulas veritatis a quæ mendacij sin-  
gulorum generum, vt intelligamus quæ  
enuntiatio vera sit exordiū sumit à cōtrarijs.

### Caput sextum de regulis oppo- sitorum.

**C**ontrariæ enuntiationes ambæ possunt  
esse falso. vt omnis homo est albus: nullus  
homo est alb⁹. Subcontrariæ vero possunt  
esse simul veræ. Haruni duo exempla propo-  
nit, vnum est, homo est alb⁹, homo non est al-  
bus, alterum homo est pulcher. homo non est  
pulcher. hęc enim vera est, homo est albus de  
eo qui iam est albus, ista etiam homo non est  
albus, de eo qui fit albus. Nā quod fit nondū  
est

est. deinde hęc est vera, homo est pulcher de Paride. hęc vero falsa homo nō est pulcher de Thersite, nā est turpis ergo nō est pulcher: contra dicētes autē siue vniuersales sint, hoc est vniuersalis subiecti, siue singulares, neq; si mulverę esse possunt, neq; simul falso, vt aliquis homo est alb⁹: nullus homo est albus. Admonet tamen Aristo. duas istas enuntiationes, nullus homo est albus, & homo nō est albus, non esse easdē, sed diuersas. altera enim infinita est: vniuersalis altera. quare altera vera esse poterit, cū est altera falsa. Postremò etiam admonet vni affirmationi tātum esse oppositam vnam negationem, uno genere oppositionis. diuerso autem genere vni multe opponi possunt. Nam huic, omnis homo est albus, cōtraria est, nullus homo est albus vērū contradictionia, homo non est albus.

## Argumentum.

**Q**uoniam incertam reddit veritatē enūtiationis vox ambigua, Docet Aristo. que sit enuntiatio vna. que plures, ut distinctione adhibita de ea agamus.

## Caput septimum.

**V**Na enuntiatio est in qua vnum de vno enuntiatur, siue vniuersalis illa sit, siue particularis, siue infinita. Plures vero

Summa dialecticæ.

verò si in ea insit nomen aliquod multiplex,  
aut ambiguum. huiusmodi est hæc enuntia-  
tio, tunica est alba, si nomen tunica, hominē  
atque equum significet. Perinde enim est, ac  
si dicas, homo est albus: equus est albus. quod  
autem de affirmatione dictum est, negationi  
etiana potest accommodari.

Argumentum.

M Onstrauit omnem contradictionem ve-  
ram esse aut falsam. Iam docet non esse  
necessarium ut contradictionis una pars, iā,  
hoc est definite vera aut falsa sit: quod pbat  
in contradictione de futuro contingentि.

Caput octauum de futuris contin-  
gentibus.

C Ontradictionis de præterito & præsenti  
necessitate est hanc partem veram esse, illam  
falsam. in singularibus verò & futuris que  
possunt aliter evenire non necessare est unam  
partem definite veram esse alteram falsam.  
Hoc probat duobus argumentis, quorum pri-  
mum sic explicatur, Si omnis affirmatio vel  
negatio est certò vera aut falsa, omnia ex ne-  
cessitate eveniunt. Omnia autem ex necessi-  
tate evenire absurdum est, ergo non omnis  
affirmatio, vel negatio est certò vera aut fal-  
sa. maiorem primum illustrat exemplo, vt si  
dicat

dicat, inquit unus, Socrates lauabitur cras, al-  
ter verò dicat, Socrates non lauabitur cras, al-  
terum necessario eueniet, si omnis affirma-  
tio vel negatio est definite vera. Deinde cō-  
firmat maiorem duobus argumentis, primū  
sic trāctatur, necēsitas rei significatē per ora-  
tionēi, & veritas orationis retrò comīcāt:  
ut si vera est oratio quæ dicit, hoc est album,  
res necessario est alba. & vice sūm, si res ne-  
cessariò est alba, vera est oratio quæ dicit rē  
albam esse, ergo si omnis affirmatio vel nega-  
tio certò vera est aut falsa, omnia necessario  
euenient. Secundum argumētūm hoc pācto  
concluditur, si omnis affirmatio vera est aut  
falsa definite, oratio pāfectis temporis & fu-  
turi erunt definite verē. & quām ad modum  
hęc pāfectis temporis, hoc est album, est cer-  
tò vera, sic erit hęc futuri temporis, hoc erit  
albū definite vera. si est definite vera res sig-  
nificata certò erit si certò erit semper erit, si  
semper erit nō poterit nō esse. si nō potest nō  
esse, impossibile est nō esse. si impossibile est  
nō esse, necesse est esse, ergo de primo ad vlti-  
mū si omnis affirmatio vel negatio est defini-  
te vera, omnia necessario eueniēt. Illustrat  
adhuc Arist. maiorē hanc triplici prolepsī.  
nam poterat aliquis primo sibi persuadere,

Ff neutram

## Summa dialecticæ

neutram partem contradictionis veram esse  
quia neutra pars est definite & certo vera,  
hoc autem falsum esse demonstrat Arist. du-  
plici absurdo: primum, si neutra pars vera est  
tolletur dignitas contradictionis quæ, præci-  
pit ut una pars contradictionis vera sit, alte-  
ria falsa Secundo, si neutra pars vera est, tolle-  
tur fortuitum aut contingens : quod potest  
euenire, & nō euenire, vt bellum nauale erit  
cras, vel non erit: nam si affirmatio est falsa,  
bellum nauale necessario non est, & si ne-  
gatio, est falsa , bellum nauale necessariò  
erit. quare idem erit , & non erit necessario,  
cum sit mere contingens . Secunda prolepsis.  
putabit aliquis contingentem propositionē,  
& singularem esse definite veram, quia verū  
fuit dicere superiori die vel anno, hoc quod  
nunc est, erit. Respondet Arist. vel si ante de-  
cem millia annoū dixerit quis hoc erit, hoc  
necessario erit, si omnis affirmatio vel nega-  
tio est definite vera vel falsa. Tertia prole-  
pis est, existimaret aliquis contradictionem  
veram esse, quod ab aliquo profertur. respō-  
det Aristoteles hanc non posse esse causam,  
caro vera sit: nam si nemo contradictionē pro-  
nuntiet, contradictionē erit vera . neque enim  
oratio vera est vel falsa, quia à nobis profer-  
tur:

tur: sed dicitur vera quia res ita se habet sicut significatur, per orationem, & falsa quia res aliter se habet, quam oratione significetur. deinde confirmat minorem primi syllogismi, quem aiebat, omnia autem necessario fieri est impossibile tribus argumentis. Primum est, si nos consultamus: & quem eligimus libere agimus, non fiunt omnia necessariò, consultamus autem, & quem eligimus agimus libere: ergo non omnia fiunt necessariò. Secundum sic explicatur si aliquæ res possunt fieri & nō fieri absurdum est dicere omnia eueniare necessario. Res autem pleraq; naturales possunt fieri, & nō fieri, ergo absurdū est putare, omnia fieri necessario. Tertio, res arte constantes possunt fieri & non fieri. nam vestis scindi potest, & potest non scindi, si prius atteratur: ergo nō omnia necessariò eueniunt. Quare aliquid est fortuitū seu contingens, atque id est duplex, unum ad utrumque, quod tamen potest eueniare, quam non eueniare, ut Socratem ambulare: alterum contingens est magna ex parte, ut hominem nasci quinquedigitum.

Secundum argumentum hoc modo cōcluditur, talis est natura contingentiorum, qualis est natura rerum. sed Quædam res sunt contingentes, quem possunt eueniare & nō eueniare,

Ff 2 ergo

## Summa dialecticæ

ergo quædam enuntiationes sunt contingentes, id est quæ non sunt certo & definitè veræ aut falsæ. quare non omnis affirmatio vel negatio diffinitè vera aut falsa est. maiorē propositionem huius syllogismi confirmat Aristoteles argumento à simili. Ut enim omne quod est, quando est necessarie est esse. Socrates n. dū currit, necessario currit, sic tota cōtradictio ex disiunctione est necessariā, quia necessario altera pars eueniet. Deinde sicut nō omnis res necessario est, ita quoq; nō omnis pars cōtradictionis est certò vera vel falsa. Quare qualis est natura rerum talis est natura enuntiationum. His igitur duobus argumentis demonstrat Arist. quod nō omnis affirmatio vel negatio est definitè vera aut falsa. Finis.

### Argumentum librorum de priori analysi.

E xplicuit Arist. proximo libro vim atque naturam enuntiationis. dissenserit iam de syllogismo & demonstratione, quæ efficiuntur ex enuntiationibus: horum quatuor librorū unus finis est: atque ista demonstratio: inscribuntur resolutorij ex fine.

In duobus prioribus libris ex fine syllogismi, qui est concludere necessariò, docet qui syllogismi sunt utiles, qui inutiles.

Dif

Disputatio syllogismi in duos libros diuiditur. horum primus tres continet sectiones, in prima docemur confidere syllogismum: in secunda inuenire medium. Tertia continet præcepta reuocandi syllogismos omnis generis ad modos & figuræ.

Prima pars explicatur ab Arist. methodo demonstrandi. Nam tradit ille imprimis, definitiones & pronuntiata quibus docetur modus conficiendi syllogismos. Quod primo capite prestat exorsus ab enumeratione earum rerum de quibus est disputaturus.

### Caput primum.

**P**RIMUM dicendum est qua in re versetur disputatio: ea versatur in demonstratione explicanda. Deinde dicendum quid propositio, quid terminus, quid syllogismus, quis perfectus quis imperfectus. Deinde quid sit hoc esse in illo vel non esse. & quid sit, de omni aut nullo predicari. Propositio ergo est oratio affirmativa vel negativa alicuius de aliquo. haec est triplex vniuersalis, particularis, indefinita. Vniuersalis que significat praedicatum inesse omni subiecto vel nulli. particularis, que significat alicui inesse alicui non in esse. vel non omni, indefinita que inesse aut non inesse significat, sed signo vacat. vt

Ff 3      voluptate

## Summa dialecticæ

voluptas non est bonum.contrariorum cādē  
est disciplina.Rursum propositio duplex est  
vna demonstratiua,quę sunit alteram partē  
contradictionis.altera dialectica,quę cōtra  
dictionem rogat : illæ inter se comparantur  
hac ratione,quòd ex vtraque fit syllogismus  
& ob eam causam vtraque syllogistica vo-  
catur.

Terminus est in quem resolutur proposi-  
tio,apposito esse vel non esse. Syllogismus  
verò cuius cognitio necessaria est ad expli-  
candum qui syllogismi utiles sint & qui con-  
tra inutiles,est argumentatio in qua quibus-  
dam positis aliud ab his quę posita sunt ne-  
cessario efficitur,eo quod hęc sunt.'exposita  
finitione syllogismi describit Arist.perfectū  
& imperfectum syllogismū,vt intelligamus  
quod idem dicturus est proximis capitibus,  
qui syllogismi perfecti sint qui imperfecti &  
qua causa tales sint . Syllogismus perfectus  
est,qui nulla re indiget vt videatur necessa-  
riò concludere .imperfectus verò qui indi-  
get uno aut pluribus,id est cōuersione vnius  
propositionis aut plurium . Postremo loco  
tradit duas communes animi sententias.dici  
in quā de omni,& dici de nullo.dici de om-  
ni est quādo nulla pars subjecti est de qua nō  
dicatur

dicatur prædicatum. dici vero de nullo est quando nulla est pars subiecti de qua dicitur prædicatum. hæc duo idem sunt re cum his duobus esse in toto atque esse in nullo. caramen ratione distinguntur, quod subiectum dicitur esse in toto prædicato, uel non esse. prædicatum autem dicitur de omni subiecto uel de nullo.

## Argumentum.

**V**oniam syllogismi secundæ & tertiaræ figuræ reuocantur ad syllogismos primæ per cōuercionem disputat in presencia Arist. de conuersione. hæc quoniam varia redditur matata natura propositionum, subiicit oculis tres diuisiones propositionum, quæ diuerso modo conuertuntur.

## Caput secundum.

**P**rima diuisio, propositio alia est simplex, alia quæ constat modo necessario. alia cōtingenti. Secunda diuisio: propositio alia asserit, alia negat. hæc triplex est. vniuersalis particularis, indefinita. proponit deinde tres regulas, quibus explicat cōuercionem propositionis simplicis. Prima regula est, propositio vniuersalis negans & particularis asserens cōnuertitur in particularem. Tertia,

Ff 4 partio

## Summa dialecticæ

particularis negans non potest in se ipsam conuerti. non enim recte, sequitur , aliquod animal non est homo, ergo aliquis homo nō est animal: quod vniuersalis negans conuertatur in se ipsam, probat Aris. nam si hęc propositio, nullus homo est lapis, non conuertitur in hanc nullus lapis est homo, cōuertetur in eius contradicentem, aliquis lapis est homo: is ergo lapis qui est homo sit leo, tūc , leo est homo: & est lapis, ergo homo est lapis : & positum erat, nullus homo est lapis, ergo vel duo contradictoria vera sunt nempe nullus homo est lapis , aliquis homo est lapis, vel vnum contradictionum ex altero sequitur, quod est maximè absurdum.

Deinde vniuersalis afferens in se ipsam cōuertitur: nam si nō sequitur, omnis homo est animal, ergo aliquod animal est homo, sequitur eius contradicens, nullum animal est homo: hęc autem conuertitur in hanc, vt dictū est, nullus homo est animal: ergo vel duo cōtraria vera sunt, vel ex uno contrario alterū colligitur: quod est maximè absurdum. Nā vnum contrarium alterum interimit, non infert.

Rursum probat particularē aientem cōuerti in se ipsam: nam si non sequitur, aliquis homo

homo est animal, ergo aliquod animal est homo, sequitur, nullum animal est homo. Sed hæc conuertitur in hanc, nullus homo est animal, ergo ex contradictorio colligetur contradicitorium, quod est ut diximus, maxime absurdum. particularem negantem exē-  
plo solum probat non conuerti. Neque enim recte sequitur, aliquod animal non est homo ergo aliquis homo non est animal.

### Argumentum capitistertij.

**I**n hoc capite explanat Arist. conuersionē propositionum modificatarū. sumit autē exordium ab illis quæ afficiuntur & constant isto modo necesse, quoniam perinde conuertuntur atque simplices, & vacates mo-  
do. tradit autem tres regulas.

### Caput tertium.

**E**odem modo conuertuntur propositiones modi necessarij quo simplices, prima regula, vniuersalis negans in se ipsam con-  
uertitur, ut necesse est nullum lapidē esse ani-  
mal, ergo necesse est nullum animal esse lapi-  
dem. Si hæc non sequitur, sequetur illius con-  
tradicens, nempe contingens est aliquod ani-  
mal esse lapidē, quod si contingens est aliquod  
animal esse lapidē contingens etiā erit aliquē  
lapidē esse animal, at positū fuerat, necesse est

Ff 5 nullum

Summa dialecticæ

nallum lapidem esse animal ergo vnum contradicens ex altero sequetur. Hoc autem est absurdum, quare vniuersalis negans in se ipsam reciprocatur. Secunda, vniuersalis affirmans & particularis affirmans in particularem affirmantem conuertuntur: ut necesse est omnem hominem esse animal, vel necesse est aliquem hominem esse animal, in hanc necesse est aliquid animal esse hominem. Nā si dicas hanc nō sequi, sequetur profecto eius contradicens, nempe nō necesse est aliquid animal esse hominem. si non necesse est aliquid animal esse hominem, non necesse erit aliquem hominem esse animal. At positum erat omnem hominem esse animal, ergo vnu contradicens ex altero sequitur: quod cum absurdum sit vniuersalis affirmans & particularis in particularem affirmantem conuertuntur. Tertia, particularis negans non conuertitur in se ipsam, quia daretur antecedens verum, & consequens falsum. ut necesse est aliquid animal non esse hominem, ergo necesse est aliquem hominem non esse animal. consequens est omnino falsum.

Vt explicet cōuercionē propositionū modi contingentis affert primū tres significaciones modicōtingētis, propter quas varia reditum

ditur cōtingētis propositionis cōuersio. Prima significatio est quadicitur cōtingēs, quod necessariū est, ut cōtingit cōlū moueri. Secūdo appellatur cōtingens quod cū nō sit necessariū, est tamē actu ut de homine ambulante dicimus, cōtingit hominē ambulare. Tertio cōtingēs sumitur pro eo quod potest esse. ex positis significationibus cōuerſionis tres regulas tradit: prima est, vniuersalis affirmans in particularē affirmantē cōuertūtur quacūque significatione contingens sumatur. vt contingit omnem hominem esse album, vel aliquem hominem esse album, ergo contingit aliquod album esse hominem. nam si hæc non sequitur, sequetur eius contradicens, necesse est nullum album esse hominem: hæc autem conuertitur in hanc necesse est nullum hominem esse album, possum autem erat, contingit omnem hominem esse album: ergo vnum contradicens sequitur ex altero: at qui hoc est absurdum, ergo vera est prima regula. Secunda regula, vniuersalis propositio negans & particularis, si consingens prima vel secunda significatione sumatur perinde conuertuntur, atque simplices. hæc enim, contingit nullam tunicā esse albā vertitur in hanc, necesse est nullum album esse

## Summa dialecticæ

esse tunicam. Nam si non sequitur hæc, sequitur eius contradicēs, nēpē necesse est aliquod album esse tunicam. Quòd si necesse est aliquòd album esse tunicam, necesse erit aliquā tunicam esse albam: at positum erat, contingit nullam tunicam esse albam: ergo vnum cōtradicens ex altero sequitur, quare vera est secunda regula. Tertia, particularis negans, si contingens tertia significatione sumatur, in se ipsam reciprocatur. ut contingit aliquem hominē non currere, ergo contingit aliquod carrens non esse hominem. Vniuersalis vero negans non potest in se ipsam conuerri, ne vniuersalis affirmans in seipsam conuertatur. nā potius conuertuntur huiusmodi propositiones in contrariā qualitatē, quoniam figurā habent asserentium propositionum.

### Argumentum,

Presenti capite Arist. primam explicat figurā, atq; etiā eos modos qui in eadē efficiuntur: est autē figura argumentti aut medijs collocatio. id quoniā trifariam collocari potest, triplex figura efficitur. Mod⁹ vero est dispositio maioris & minoris ppositionis.

### Caput quartum:

E xplicuit elementa, aggreditur iā Aristō. E modum conficiendi syllogismum. Primū autem

autem ( inquit ) disputandum est de syllo-  
gismo in vniuersum: ratio est, quoniam est vni-  
uersalior demonstratione: atque etiam prior.  
deinde definit primam figuram, ea est cum me-  
diū subiectur vni extremo. & predicator de  
altero. In singulis figuris efficiuntur decem &  
sex modi. in prima vero quatuor utiles sunt,  
reliqui inutiles. utilius duo sunt vniuersales,  
alijs duo speciales. Omnium numerus ita colli-  
gitur: aut enim utraque propositio, maior in  
quam & minor, vniuersalis est aut specialis v-  
tia que: aut altera vniuersalis est, altera parti-  
cularis: cum est utraque vniuersalis aut asse-  
rit utraq; aut negat utraq;: aut maior asserit  
minor negat: aut maior negat, minor asserit:  
si utraq; asserat fit utilis syllogismus qui vulgo  
significatur hoc vocabulo barbara. Si negat  
utraque non fit syllogismus Datur termini om-  
ni inesse, sciētia, linea vnitas. Si maior sit vni-  
uersalis negās, minor vniuersalis asserens fit  
syllogismus in celare. Si contra contingat non  
fit syllogismus. termini omni inesse animal,  
homo, equus. Nulli inesse, animal, homo, la-  
pis. si altera vniuersalis sit, altera particula-  
ris, aut maior est vniuersalis, aur minor: si  
maior, aut asserit, aut negat. Si maior sit vni-  
uersalis asserens minor particularis asserens  
effici

Summa dialecticæ

efficitur syllogismus in dario. Si maior sit vniuersalis negans minor particularis afferens, utiles est syllogismus in ferio . Si minor sit particularis negans maior vero particularis afferens aut negans, non fit syllogismus. termini omni inesse, quando maior est vniuersalis afferens: animal, homo, cygnus, nulli in esse animal homo nix . Quando vero maior est vniuersalis negans, termini omni in esse, inanimatum, homo cygnus. Nulli inesse, inanimatum homo nix. Si minor est vniuersalis, maior particularis aut maior est particularis afferens aut negans & minor vniuersalis negans: & tunc non fit syllogismus. Termini omni inesse album, equus, cygnus nulli inesse, album, equus, coruus. Si minor sit vniuersalis afferens, & maior particularis afferens, vel negans, non fit syllogismus. Termini omni inesse, bonum, habitus, prudentia Nulli inesse, bonum, habitus, indisciplina. Si vero utraque particularis sit, aut afferit utraque, aut negat utraque: aut maior afferit, & minor negat, aut contra, & nullo pacto fit syllogismus. Termini omni inesse animal, album, equus. Nulli inesse, animal, album, lapis. probat Aristoteles utiles syllogismos afferentes, quia in illis de omni dicitur . Negantes

vero

verò quia de nullo inutiles alios esse demon-  
strat, quoniam dantur termini omni inesse,  
& nulli inesse. Cum autem accipimus termi-  
nos illos, ex primo termino maius extremū  
faciemus. Ex secundo medium, ex tertio mi-  
nus extremum.

### Caput quintum.

**I**N hoc capite explanat secundam figuram,  
ea est cum medium prædicatur in maiori  
& minori propositione. In ea etiam efficiū-  
tur decem & sex modi, quorum numerus, ea  
dem ratione sumi debet, quam superiori ca-  
pite sequuti sumus: horum, quatuor sunt utiles  
reliqui sunt inutiles, utiles sunt cum mai-  
or est vniuersalis asserens, minor negans in-  
cavestres, aut contra in Cesare aut maior vni-  
uersalis negans, minor particularis asserens  
in festino. aut contra, in baroco reliqui sunt  
inutiles. Utiles perficiuntur deduictione ad  
impossibile, aut per conuersionem. inutiles  
ostenduntur quoniam dantur termini omni  
inesse & nulli. in hac vero figura nullus syllo-  
gismus est asserens.

### Caput sextum.

**I**N hoc capite explanat tertiam figurā: ea  
est cum medium subjicitur utriusque extre-

## Summa dialecticæ.

mo sunt in eadem decem & sex modi horum sex sunt vtiles, qui probantur dedu<sup>c</sup>tione ad impossibile aut conuersione, reliqui sunt inutiles, quoniam dantur termini omni inesse & nulli. sunt modi vtiles darapti felapton, disamis, datisi, bocardo, ferison.

### Caput septimum.

**I**n presenti capite Arist. refert quædā corollaria, primum est, Quidam modi usque adeo inutiles sunt ut nulla ratione possint aliquid colligere : alij verò licet inutiles sint, emendari tamen aliquo modo possunt, si concludant minus extremum de maiori. Secundum corollarium, omnes modi secundæ & tertiae figuræ possunt reuocari ad modos primæ figuræ conuersione , aut dedu<sup>c</sup>tione ad impossibile, quemadmodum ostēsum est in secunda & tertia figura. Tertium corollarium, omnes modi possunt reuocari ad modos vniuersales primæ figuræ, nam cesare & camestræ per conuersionem reducuntur ad celarem. festino & baroco per impossibile ad barbara & celarem. modi speciales primæ figuræ referuntur ad secundam. illi verò ad primæ. vniuersales, vt diximus modi tertiae figuræ aut reducuntur ad vniuersales primæ aut ad speciales: si ad speciales referantur, referentur

tur etiam ad vniuersales, quoniam ad eisdem  
reuocantur, ut ostensum est.

*Libri de post. resolut.*

Argumentum capi.

**D**OCEST Arist. præsenti cap. nostrum scire non esse reminisci, ut existimabat Plato sed potius doceri contingere. & qua ratione doctrina demonstrativa comparetur sump-  
to argumento à genere.

Caput primum.

**O**MNIS doctrina intellectiva efficitur in nobis ex aliqua cognitione antecedenti. hoc probat inductione omnium artium, atque disciplinarum. aut enim doctrina comparatur demonstratione, cuiusmodi est mathematica. & illa fit ex præcedenti cognitione principiorum: aut comparatur syllogismo topico, aut inductione: ut dialectica: & fit similiter ex anticipata aliquacognitione. Nam induc̄tio ex rebus singulis que sunt sensu pri⁹ cognit⁹ colligit vniuersale. Topicus syllogismus ex his que probantur prius illi cum quo disputamus. Aut tandem comparatur enthymema seu exemplo, ut rhetorica: & eodem pacto fit. Nam enthymema apud

Gg rhetores

Summa dialecticæ

rhetores est idem quod syllogismus apud dialekticos. Et exemplum est loco inductionis: sed syllogismus & induc̄tio fiunt ex pr̄e existenti cognitione ergo enthymema & exemplum: quare omnis doctrina fit excognitione antecedenti.

Deinde ut doceat qua ratione id fiat, inquit quod duobus modis rem quāpiam præintelligimus: aut enim præ cognoscimus esse quidpiam, aut quid sit. Tria verò præintelliguntur, principium, subiectum quæstionis attributum seu prædicatum. Hęc ita comparantur, ut principia præintelligamus esse: Hoc est vera esse. subiectum esse, & quid sit. hoc est quę sit eius finitio, aut quæ vocabuli significatio. maius extrellum præintelligim⁹ quid sit. monstramus autem esse hoc est subiecto inesse. Cum autem doceri possimus vniuersalia & singularia, modum ostendit quo utrūque cognoscitur ex antecedēti cognitione. Est enim ille diuersus. vniuersalis enim doctrina ex pr̄e cognitione principiorum fit singulare verò docemur ex antecedenti cognitione vniuersalis. Exemplo rem probat. Nam quod omne triangulum habeat tres angulos pares duobus rectis, cognitis principijs doccor: at verò quod hoc triangulū tres habeat

beat angulos, ex prænotione vniuersalis hu-  
ius, omne triangulū habet tres angulos.

Hinc colligit Arist. quod antea quām de-  
monstrationem efficiamus aliquo modo sci-  
mus conclusionem & quodammodo illā ig-  
noramus. Scimus enim illam in vniuerso ge-  
re: simpliciter verò atq; in se, illā ignoramus.  
alioqui inquit, incidemus in Memnonis am-  
biguitatē. Nā si omnino cōclusionē scirē an-  
te quā fieret demonstratio, nō opus esset do-  
ceri conclusionē. Si verò omnino ignorare  
tur, frustra eius scientiā quæreremus. Nam  
etiam si illā diligenter inuestigemus, sanc nō  
inueniemus. modo verò cū simpliciter igno-  
retur, simplicitet discitur. & quoniam ante  
quām colligatur aliquo modo cognita est,  
facta demonstratione cognoscemus cōclusio-  
nem quā querebamus. Hoc ergo paēto dissol-  
uenda est ambiguitas Memnonis, nō aut que  
madmodū faciunt sophistæ qui negāt nos sci-  
re simpliciter quidpiam posse, sed cū aliqua  
conditione. A iūt. n. nos minime scire, omne  
triangulū habere tres angulos. neq; onī nem  
binariū esse parem, sed quem scimus esse bi-  
nariū. Et quod scimus esse triangulum. Sed  
proculdubio illud ipsum scimus. Nam id sci-  
mus cuius habemus demonstrationē, habemus

Gg 2 autem

## Summa dialecticæ

autem demonstrationem eius rei. non huius.  
Quare nostrum scire non est recordari, sed  
rem ignotā ex rebus antea cognitis doceri.

### Argumentum.

**I**n hoc capite Aristó. huius artis principia tradit: sunt illa, tres definitiones: due scien-  
tiæ, tertia demonstrationis, & vnum postu-  
latum. à scientiæ verò finitione incipit quo-  
niam finis est demonstrationis, & ars demon-  
strandi explicatur cognito fine.

### Caput secundum.

**C**ircum opinamur vnum quodque simplici-  
ster & non sophistico modo quod est secun-  
dum accidens cum causam arbitramur co-  
gnoscere propter quam res est & quoniam il-  
lius est causa & non contingit quod scimus a  
liter habere. omnes enim homines tunc se sci-  
re existimant rem quampiam, cum eius cau-  
sam putant intelligere. Quod verò scimus,  
non contingit aliter habere. est etiam scire  
rem intelligere per demonstrationem.

At demonstratio syllogismus est, quem cù  
habemus, scimus. vtrum autem sit aliis mo-  
odus sciendi præter demonstrationem libro  
secundo videbimus.

Vbi principia explicuit tradit conclusio-  
nem: ea est, demonstratio procedit ex veris,  
primis

primis immediatis, priorib⁹, notioribus caū  
sisque conclusionis. illam conclusionem ita  
demonstat: scire est causam rei intelligere: at  
scimus per demonstrationem, ergo demon-  
stratio ex veris procedit, primis atque imme-  
diatis: nam hæc sunt causæ.

Deinde ex veris fit demonstratio, quia aut  
ex veris fit, aut ex falsis: non ex falsis, siquidē  
quod scimus non contingit aliter habere, fal-  
sa aliter habent, cum non sint, ergo falsa  
non sciuntur, quare neque sunt causa cur scia-  
mus alia.

Deinde ex primis, nam quæ sumuntur  
in demonstratione, aut monstrari possunt,  
aut non possunt, si monstrari possunt, aut  
sciuntur, aut non: si non sciuntur, ergo ne-  
que scitur conclusio, quoniam tunc sci-  
mus cum habemus demonstrationē, si sciun-  
tur, ergo per demonstrationem ex secunda de-  
finitione, quare vel est procedendum in infi-  
tum, vel sunt aliqua prima ex quibus effici-  
tur demonstratio, & quæ medio vacent atq;  
immediata dicantur: ex causis etiā fit demō-  
stratio. Nam ex prima definitione tunc scimus  
cum causam cognoscimus, scimus autem per  
demonstrationem, ex secunda, ergo demon-  
stratio procedit ex causis.

## Summa dialecticæ

Item ex prioribus atque notioribus. nam omnis causa est prior & notior effecto, denō stratio procedit ex causis, ergo fit ex prioribus & notioribus utroque modo. Nam principia præcognoscitur vera esse, & quid sint.

Rursum ex prioribus & notioribus natura fit demonstratio. Nam causa est natura prior atque notior effecto.

Deinde explanat aliquot voces, præfer-  
tim quod ait, demonstrationem procedere ex  
primis. Idem est enim quod ex proprijs prin-  
cipijs. nam primum & principiū idem sunt.

Est autem principium demonstrationis propositio immediata. immediata verò propo-  
sitio illa est qua non est altera prior per quā  
possit probari.

Propositio verò est altera pars enuntiatio-  
nis, ea videlicet quæ sumitur ad aliud colligē-  
dum, modo in ea unum de uno dicatur.

Huius duæ sunt partes, una est dialectica,  
altera demonstrativa, dialectica est vtruis  
pars contradictionis, assertens inquam, aut  
negans. Demonstrativa est ea pars contra-  
dictionis quæ vera est. enuntiatio quæ collo-  
cata est in definitione propositionis est vtra-  
uis pars contradictionis, affirmatio inquam aut  
negatio.

Contra-

Contradic<sup>tio</sup> verò est oppositio, cuius non  
est verè medium. sunt eius partes duæ, affir-  
matio, inquam, & negatio. In affirmatione  
vnū alteri tribuimus, in negatione separa-  
mus vnum ab altero.

Definiuit haec tenus principia, nunc ea di-  
uidit, duplex inquit principium est, vnu<sup>m</sup>posi-  
tio vocatur alterum dignitas, positio est prin-  
cipiū quod licet nō possit monstrari, indiget  
aliqua explicatione: dignitas neq; monstra-  
ri potest, neq; illa explicatione opus habet.  
Positio est duplex, quædam suppositio, quæ  
significat esse vel non esse. alia definitio, que  
neq; significat esse, neque non esse.

Statim tradit secundam conclusionem, ea  
sic habet, principia demonstrationis magis  
cognoscidebent, quām conclusio. atque etiā  
prius. priorem partem ita probat, propter qđ  
vnum quodque est & illud magis est: nam si  
quempiam alterius gratia diligo, alterū ma-  
gis charum habeo, sed scimus conclusionem  
propter principia, ergo magis cognoscimus  
principia.

Deinde prius illa scimus quām cōclusionē  
alioqui id quod non est per se cognitū, & cu-  
ius non habemus demōstrationem, prius sci-  
remus quām id per quod scire debemus, prin-

Summa dialecticæ.

cipium videlicet. Tertia conclusio, opposita principiorum oportet certò credere vera esse non posse. Nam si vera esse possent opposita falsa essent, conclusio verò non potest alter se habere, quare sciē dodeciperemur, quod maximè absurdum est.

Argumentum tertij capitatis.

**R**efellit duos errores veterum philosophorum præsenti capite, alterum eorum qui aiebant demonstratione nihil sciri posse. alterum eorum, qui omnium dicebant esse demonstrationem, in orbem tamen. & constituit demonstrationem esse, non omnium tamen rerum, sed quarundam.

Caput tertium.

**F**erunt quidam nullius rei scientiā esse per demonstrationem, haec ratione persuasi. Si aliqua est scientia quæ efficiatur per demonstrationem, eius principia sciuntur, at qui sciri non possunt, ergo neque scimus per demonstrationem. Maior manifesta est, minor probatur: nam si principia sciuntur, per demonstrationem sciuntur, cum scire sit per demonstrationem intelligere. quare per alia principia. Ergo vel procedemus in infinitū, & cū infinita, animo percurri nō possint, nihil sciemus: vel si qua sunt prima principia il la

Ia ignota sunt cum eorum non sit demonstratio. Quare ignoratur etiam conclusio. Alij ferunt scientiam esse per demonstrationem. Sed principia arbitrantur sciri per conclusio nē, quoniam omnia in orbē monstrātur. Vtraq; tñ sententia falsa est, & rationes nihil efficiūt. Nā prima quædā principia sunt, quorum demonstratio nō est, sed ipsa per se cognoscūtur.

Altera sententia falsa est etiam, quod tribus argumentis conuincit Aristo. vnum est quia si circulo contingat monstrari quidpiā, erit idem prius & posteri⁹ eodem modo: quod fieri non potest. Nā principia priora sunt naturā quam conclusio, & sunt etiam naturā posteriora, si simpliciter illa scimus per conclusionē. Nā quod simpliciter scim⁹, ex prioribus & notioribus secundū naturam scimus.

Secunda ratio est, quia idem probarem⁹ per se ipsum. Nā si. a. probamus per. b. & rur sum. b. per. a. a. quoque monstramus per. a.

Tertia ratio est, quoniam tametsi concedamus contingere circulo monstrare, falsum est omnium rerum esse demonstrationem in orbem: illa enim solum efficitur im primo modo primæ figuræ, & cum termini reciprocantur. Quamobrem contingit scire per demonstrationem non omnia tamen, sed ea tantum

quorum sunt principia aliqua.

Argumentum.

**E**xpli cat in p r e s e n t i a A r i s t . t r e s i s t a s v o c e s d e o m n i , p e r s e , & v n i u e r s a l e : q u a r u c o g n i t i o n e n e c e s s a r i a e s t , v t i n t e l l i g a m u s e x q u a l i b ⁹ p p o s i t i o n i b ⁹ d e m o n s t r a t i o n i s f i t .

Caput quartum.

**D**emonstratio con stat e x n e c e s s a r i j s . H o c i t a p r o b a t : q u o d s c i m u s , e s t n e c e s s a r i u m . S c i m u s a u t e m p e r d e m o n s t r a t i o n e m , e r g o d e mon stratio e s t e x n e c e s s a r i j s . M i n o r c o n s t a t e x s e c u n d a d e f i n i t i o n e s c i e t i a e : m a i o r p r o b a t u r , n a m q u o d s c i m u s n o n c o n t i n g i t a l i t e r h a b e r e : e r g o e s t n e c e s s a r i u m . E r g o n o n p o t e s t p r o h a r i p e r e a q u æ n e c e s s a r i a n o n s u n t .

Deinde voces explicat , de o m n i , p e r s e & v n i u e r s a l e . P r i m u m v e r o d e o m n i i l l u d e s t q u o d o m n i a l t e r i c o n u e n i t & s e m p e r , v t n a t u m a d r i s u m e s t d e o m n i h o m i n e , q u i a o m n i c o n u e n i t h o m i n i , & s e m p e r , h o c e s t o m n i t e m p o r e a t q u e l o c o . Q u o d v e r o r e c t e i t a f i n i a t u r , i n d e c o n s t a t : q u o n i a m c u m v o l u m i n s r e f u t a r e q u o d d e o m n i e x i s t i m a t u r , d i c i m u s a u t n o n o m n i c o n u e n i r e , a u t n o n s e m p e r . D e i n d e e x p l i c a t p e r s e a t q u e r e c e n s e t q u a t u o r m o d o s . P r i m o m o d o p e r s e i n e s t a l t e r i , q u o d e s t e i u s f i n i t i o : a u t p a r s f i n i t i o n i s ,

s i u c

siue genus sit siue differentia. ut animal ratio-  
nale homini: aut animal, aut rationale. Secū-  
do modo per se inest quod accipit alterū tan-  
quā subiectū cum definiuntur. hoc sensu appria-  
passio per se speciei cōuenit, ut risibile homi-  
ni, quoniā risibile homo est natus ad risum.  
Tertio modo qđ est per se hoc est nō est in a-  
lio: ut substātia. Quarto qđ alteri conuenit  
quaten⁹ tāle est, ut interire iugulato, edifica-  
re edificatori. Nā quaten⁹ iugulatū quidpiā  
est, interit, & edificator quā est edificator,  
edificat. Quę verò cōtra se habēt nō quidē  
per se, sed per accidētis poti⁹ cōuenire dicūtur,  
& accidētia ea causa vocantur, horū modorū  
duo, primus inquā & secūdus pertinēt ad de-  
mōstrationē: quoniā insunt rei necessario. de-  
finitio. n. necessario inest rei quę definitione  
explicatur. Similiter etiā singulę eius partes,  
gen⁹ inquā & differētia. Propriū deinde sub-  
iecto cuiuspropriū est, necessario inest. Nam  
omni & semper inest: siue proprium simplex  
sit vt natum ad risum hominis, siue coniun-  
ctum, vt numeri, par & impar. Nam quod  
impar est, est non par, atqui par & non par,  
affirmatio & negatio sunt quorum alterum  
inest rei cuius necessariō. Terti⁹ & quartus  
modus non sunt necessarij, nā substātia om-  
nis non est necessaria. Quod aut̄ quarto mo-

Summa dialecticæ

do per se dicitur, aut non omni inest, aut non semper. Nam neque omne iugulatum interit neque semper edificator edificat. Deinde finit vniuersale hoc modo, quod omni inest, atque per se, & primo, ut natum ad risum hominis est vniuersale. Cum inquit omni inesse excludit fortuita à ratione vniuersalis. cum per se, complicitur quod est primo aut secundo modo pse. cum ait prinio, significat conuenire alteri quatenus tale est, & proprium ei rei. Est autem idem per se & vniuersale, cum existatur in demonstratione.

Argumentum.

In praesenti capite Aristoteles distinguit & separat duo genera demonstrationis, demonstrationem in qua, quia est, & propter quid. Sed quoniam contingit haec duo genera aliquando differre in eadem scientia, aliquando in diuersa qua ratione in eadem atque diuersa differant docet, sed primum in eadem.

Caput decimum.

Differet demonstratio quia à demonstratione propter quid in eadem scientia duobus modis. primum quoniam demonstratio propter quid fit per causam. Demonstratio vero quia fit per effectum. Haec enim est demonstratio quia, quod non scintillat est prope nos planetæ non scintillant ergo planetæ sunt prope

pe nos. Hęc verò propter quid, quod est pro-  
pe nos non scintillat, planetę sunt prope nos:  
ergo non scintillat. esse. n. prope nos causa est  
cur non scintilēt planetę. Fit autem sępe nu-  
mero ex demonstratione quia est demonstra-  
tio propter quid, non tamen semper ita cōtin-  
git, sed duntaxat cū causa atq; effectū cōuer-  
tūtur qđ in superiori ratione deprehenditur,

Secundo differunt in eadem scientia, quod  
demonstratio propter quid fit per proximā  
causam demonstratio verò quia est per cau-  
sam remotā. Ut onine quod respirat est ani-  
mal nullus paries est animal. Ergo nullus pa-  
ries respirat: non est. n. proximā causa cur pa-  
ries non respiret, non esse animal, alioqui om-  
ne animal respiraret: quod tamen falsum est:  
nam pisces aliquot non respirant. Huiusmo-  
di est illa ratio probandi qua Anacharsis usq;  
est, cū rogaretur, vtrū essent in scythia tibici  
nes: non sunt inqnit, quoniam non sunt vites.

In diuersis autem scientijs differunt huius-  
modi demōstrationes, nam propter quid per-  
tinet ad scientiam subalternantem aut supe-  
riorem. quia verò ad inferiorem, quę subal-  
ternata dicitur. Perspectiuus enim nouit res  
apparere minores, quò longius absunt à no-  
stris sensibus, nō nouit autē propter quid: sed

geo-

Summa diale<sup>c</sup>ticæ  
geometra. Nam reddit huius rei causam,

Verum ut assignet adhuc discrimen in diuersis scientijs admonet quod scientiæ subalternantes & subalterne interdum vniuocè dicuntur: ut astrologia & scientia nautarū. Si quidem vtraq; astrologia dicitur, quia vtraque est cognitio rerum cœlestium. idē quoq; contingit in geometria & perspectiua. Ergo cum ita affecte sunt huiusmodi artes & discipline, illa que versatur circa res simplices, ut geometria & astrologia demonstrat propter quid, inferiores vero artes ut nautica & perspectiua docent rem esse.

Sunt etiam quedā alię artes quarum una non est omnino alteri subiecta, sed pars tantum parti. Pars. n. illa naturalis philosophie que agit de iride illi parti perspectiue subiecta est, que tractat de radiorū reflexu. Hoc ubi contingit, que est posita sub altera demonstrat rem esse: ea vero cui est altea subiecta demonstrat propter quid. Idem quoquè accedit aliquando in illis disciplinis atq; artibus quarū neutra est subalterna collocata. Huius modi sunt geometria & medicina. Nā quod vulnera rotunda tardius curētur quam oblonga nouit medicus. cur autem ita contingat docet geometra.

Argu

## Argumentum.

**P**resente capite distinguit Aristo. sciētiam ab opinione. appellat autem opinionem, rerum non necessariarum cognitionē: cū autē opinio aut vera sit, aut falsa, ab utraquē opinione distinguit scientiam: prius tamē ab opinione vera, duobus modis.

## Caput. xxvj.

**D**iffert quidem scientia ab opinione vera bifariam: primum quoniam scientia est certa cognitio. opinio vero est incerta. Secundō, sciētia est rerū necessariarū. opinio vero carū rerū quę possunt aliter euenire. Quod autē opinio rerū sit contingentiū duobus confirmat argumētis. vnū est, quoniā cum sint tres habitus cognoscēdi res veras, scientia, intellectus, & opinio, scientia quidē et intellectus rerū necessariarū sunt, quare opinio rerū est quę verę sunt nō tñ necessarię. Secundū argumentum ex cōi ratione loquēdi sumptū est, nam eum qui certam habet cognitionem scire dimus: eum vero, qui incertam, opinari: quare scientia necessariorum est. opinio fortuitorū. Obijciet aliquis scientia & opinio sunt de eadem re, ergo non differunt. Respōdet Aristo. de eadem re haberi posse scientiam atq;  
opi-

Summa diale<sup>t</sup>icæ.

Opinionem à diuersis tamen hominibus. Po-  
test etiam ab eodem homine de eadem re ha-  
beri scientia atque opinio, sed hoc accidit di-  
uersis temporibus, non eodem. aut eodem tē-  
pore, per media tamen diuersa: per demon-  
strationem quideam scientiam: opinionē au-  
tem per rationem probabilem.

Postquam asignauit discrimen inter scien-  
tiam atque opinionem, rejicit Arist. istos ha-  
bitus ad philosophiam.

Argumentum lib. topicorum.

In his libris Arist. dialecticam explicat: ea  
I tractatur syllogismo topico. & continentur  
octo libris. illi in tres partes diuiduntur. In.  
1. parte explanat Arist. quędam præambu-  
la. In. 2. parte quę incipit à capite decimo us  
que ad librum octauum, traditur inuentio.  
In. 3. denique pars dispositionem argumen-  
torum narrat.

In præsenti verò capite, propositum expli-  
cat, & ut accipiat syllogismum topicum qui  
pertinet ad præsentem disputationem, diui-  
sionem persequitur syllogismi.

Caput primum.

Propositum negotij est methodum inueni-  
re, id est viam & rationem, qua instructi  
possimus disputare de omni quæstione p  
posi

probabili argumentatione. & nihil dicamus repugnans, cum disputationem sustinemus.

Verum ut accipiamus ratiocinationē dialecticā, dicamus quid sit syllogismus: & quod eius formae. Syllogismus est argumentatio in qua quibusdam positis aliud necessariō colligitur per ea quae sunt posita. Demonstratio verò syllogismus est qui ex veris & perspicuis per se constat, aut ex his quae per primā & vera sumuntur. Dialecticus syllogismus est, qui ex probabilitibus colligit conclusionē hoc est ex his quae apparent omnibus aut pluribus, aut sapientibus. Sophisticus syllogismus est qui colligit cōclusionē ex his quae videntur probabilia, non sunt tamen, qui si formā retineat syllogismi, syllogismus dicitur.

Cum autem syllogismus procedit ex principijs falsis paralogismus vocatur.

#### Argumentum.

**E**xpliato fine explicat præsenti capite Aristot. tres utilitates quas nobis huius methodi cognitio suppeditat.

#### Caput secundum.

**S**equitur ut disseramus ad quot & quas res utilis sit hęc ratio. Illa in primis conducit ad exercitationes dialecticas, quae in con-

Hh traria

## Summa dialecticæ

Prariā partē haberi solēt, de quacūq; quæstio  
ne proposita. Secūdo vtilis est ad familiares  
cōgressus. Nā in illis, cū quæstio incidit, pro  
babilibus argumētis agēdū est. Tertio vtilis  
est ad explicanda artiū principia . nam cum  
dubia ea sunt, probabilibus rationib⁹ (quales  
nobis præbet dialectica) explicari debent .

Explicat etiam Aristο. dialectici officium  
cum inquit, dialecticum fecisse quod debuit,  
si nihil prætermisit eorū quæ necessaria sunt  
ad recte differendum, neque reprehendi de-  
bet si finem non consequatur.

### Argumentum.

D Isseruit de officio dialecticæ, nunc mate-  
riam explanat, ex qua dialecticæ ratio-  
cationes efficiuntur.

### Caput tertium.

D Vplex quidē materia est, alia circa quā-  
versatur dialectica, alia ex qua. Materia  
circa quam, est quæstio. questionum verò  
aut propositionum dialecticarum quatuor  
sunt genera. hoc probat Arist. inductione. nā  
in omni questione aut queritur genus aut ac-  
cidens, aut proprium. proprium autē duplex  
est aut enim explicat essentiam atque sub-  
stantiam rei, & est definitio, aut non explicat  
substantiam, & proprium appellatur. Sunt er-

go quatuor quæstionum genera genus, definitio, proprium atq; accidens. Nam diffeten-  
tia ad genus pertinet quoniam generalis est.

Difserit autē propositio à quæstione, quod propositio accipit alterā tantum partem con-  
tradictionis, vt sit ne animal genus hominist?  
quæstio vero ytranqué, vt sit ne an non?

### A.gumentum.

**N**umerauit quæstionum genera, illa nunc  
explanat, propositis singularum defini-  
tionibus exorsus à definitione.

### Caput quartum.

**D**efinitio est oratio que explicat naturā  
rei quæ definitur. Utimur aut̄ interdum  
oratione, hoc est definitione pro nomine  
aliquādo vero pro oratione utimur definitio  
ne earū partium quibus constat oratio. Vnū  
autem nomē definitio sanè nō est. Ad defini-  
tionem referuntur quæstiones de eodē & di-  
uerso. Ut vtrū idem sit sensus & scientia? Nā  
idem & diuersum pertinent ad definiendum  
quæstiones definitionis. oportet siquidem ea  
dē esse diffinitionē, & rem illam qnæ defin-  
itur. & quod non est alteri idem neque eius fi-  
nitio est. proprium est quod non indicat quid  
res sit & soli inest, & reciprocat cū specie cu-  
ius proprium est: vt natum ad risum propriū

Hh 2 est

Summa dialecticæ  
est hominis.ad illud referuntur proprium ali  
quando,& proprium ad alterum.

Genus est quod prædicatur de pluribus spe-  
cie diuersis in quæstione qua quid sit res,quæ  
ritur:vt animal.Rogati enim quid homo sit,  
accommodatè animal esse diciimus.pertinet  
ad genus quæstiones de eodem & diuerso vt  
vtrum homo & leo sint sub animali.

Accidens est quod neque definitio est,ne-  
que proprium,neq; genus semper autem est  
in subiecto.Aut quod potest inesse , & non  
in esse sine subiecti interitu.refeiuntur ad ac-  
cidens quæstiones comparationis.nam acci-  
dentialia intenduntur,& remittuntur,atq; ideo  
inter ea solum fit comparatio.

#### Argumentum.

Dicit Aris.quòd licet cætera genera quæ-  
stionum quodammodo pertineant ad de-  
finitionē,nō est vna cōmuniſ methodus.

#### Caput quintum.

Væ ad genus proprium atque accidēs  
referuntur possunt etiam quodammodo  
pertinere ad definitionem:nam si mōstra-  
mus non conuenire,quod est accidentis , aut  
non conuenire soli,quod est proprijs non  
adesse genus,monstrabimus non esse defini-  
tionem.Nam definitio genus habet, & cōue-

nit

nit rei quæ definitur, & soli. Quod tametsi verum sit existimare non decet unam esse generalem inventionem ad quam omnes questiones referantur. Nulla siquidem similis reperiatur: et si qua sit, molesta quidē est, atque iniutilis. quod cūm veruni sit querenda via & ratio est qua sigillatim singula quatuor genera problematum tractemus, quam se explicaturum promittit.

## Argumentum.

**V**T cognoscamus attributa definitionis sunt illa idem atque diuersum, de eodem & diuerso disserit.

## Caput sextum.

**T**RIFARIAM eadem dicuntur, numero specie, genere. Eadem numero sunt eiusdem rei diuersa nomina, ut indumentum & vestis. eadem specie sunt quæ eadem proxinia specie continentur, ut Socrates & Plato. eadem genere, quæ eidem proximo generi subiecta sunt ut homo & equus. rursus eadem numero, duobus modis dicuntur, nomine & definitione: definitione ut homo: & animal rationale. Quæ dicuntur nomine eadem, aut proprietate eadem sunt, ut homo & natū ad risum, aut accidenti, ut homo & sedens. hac autem omnia eadem esse numero ex ratione

Hh 3 loquendi

Summa dialecticæ.

Ioquendi constat. Nam vñ pro altero usurpari solet.

Argumentum.

Dicitur præsenti capite quatuor esse genera problematum dupli argumento, inductione inquam & syllogismo.

Caput septimum.

Omnem questionem aut generis esse, aut definitionis, aut proprij, aut accidētis inductione primū cōstat e potest, Deinde hoc syllogismo, quod de altero dicitur, aut reciprocatur cum re subiecta aut non. si reciprocatur, aut indicat quid res sit, & est definitio aut non indicat, & est proprium. Si nō reciprocatur, aut pertinet ad definitionem, & est genus: aut non pertinet, & est accidens. Deinde admonet Arist. omnia hęc quatuor genera questionum in singulis decem categorijs reperiri: nam in singulis definitio, genus, proprium, & accidens existunt, quod propositis exemplis constare possit.

Argumentum.

Explicat in hoc capite quid sit propositio dialectica & questionis, prius tamen quę nō sit.

Caput octauum.

Nō est quidem omnis questionis dialectica. nam quę nulli appetit dialectica non est,

— enī med. lib. de car.  
De causa genitrix

est, vt vtrum homo sit equus: neq; quæ omni-  
bus, vt vtrum nix sit candida. sed est interro-  
gatio probabilis: Hoc est quæ omnibus appa-  
ret ut deum esse colendum. aut pluribus vt  
diuitias esse expetendas, aut sapientibus om-  
nibus vt virtuti operam dādam esse, aut plu-  
ribus, vt virtutem anteferendam esse corpo-  
ris bonis, aut summo cuiquam philosopho, vt  
mundum nō habuisse initiū, quod ait Arist.

Addit deinde tria genera probabilem.  
probabilia sunt ea quæ sunt similia probabili-  
bus, vt scientia est contrariorum, quia sensus  
est contrariorū. Secundū genus est, cōtrariū  
probabili secundum contradictionem protē-  
sum. Si. n. probabile est amicis benefacere,  
probabile est non esse amicis malefaciendū.  
Tertium genus est, propositiones artiū quæ  
probabili aliqua argumentatione probātur.

### Argumentum

**D**icitur Aristot. quid sit quæstio dialectica  
aut problema propositis tribus generib;  
questionis.

### Caput nonum.

**P**roblema est quæstio quæ suapte natura  
pertinet ad veritatem, aut scientiam, hu-  
iusmodi est quæstio naturalis vt vtrum  
mundus regatur prouidentia? aut spectat ad

Hh 4

electio-

Summa dialecticæ.

electionem vel fugam, cuiusmodi est quæstio  
moralis, ut vtrum virtus sit expectanda? aut  
tandem ad aliquid horum adminicula est,  
cuiusmodi est quæstio logica, ut vtrum cōtra  
riorum eadem sit disciplina? singulorum au-  
tem generum multæ formæ sunt: quædā enim  
quæstiones ita se habent, ut de eisdem in con-  
trariam partē nulla probabilis ratio reddi pos-  
fit. Alię verò quæstiones eo sunt ingenio ut  
de eisdem contrarium sentiant sapientes insi-  
pientibus: aut sapientes sapientibus.


Est autem positio quædam species pro-  
blematis: ea definitur opinio admirabilis ali-  
cuius celeberrimi philosophi, ut quod nō co-  
tingat contradicere. sed hæc propriè  
quæstio dialectica non est, neque  
ea quam qui rogat pœna aut  
sensu dignus est.


F I N I S.

C O M P L V T I.


Ioannes Iniguez à Lequerica  
excudebat.

enr. 3 de Septembre de 17 de seym  
nro. 17º para alegurao empadrao ju-  
lçaria da degomação m. late sei-  
gº dito de 6 de outubro de 17 de seym  
Miguelia de la cõsellaria









61



5.492